

**www.e-rara.ch**

**Amandi Polani a Polandorf in Danielelem prophetam visionum  
amplitudine difficillimum, vaticiniorum maiestate augustissimum  
commentarius**

**Polanus von Polansdorf, Amandus**

**Basileae, anno 1600**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8272>

Caput IX.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quæ Dominus tacita voluit, donec ipse os aperuerit ad enunciandum illa: nihil homini quantumvis scientissimo tam fugiendum esse, quàm ut Dominum antevertat & priùs patefaciat arcana sibi commissa, quàm Domino visum fuerit. Eundem precor ut nos formet ad obedientiam sibi sincerè & constanter præstandam. AMEN.

## CAPUT IX.

Vers. 1. 2. &amp; 3.



Nno primo [Hebr. ad verbum in anno uno. De hoc Hebraismo vide cap. 1. vers. 1.] Darij filij Assueri [Hebr. Darjavesch filij Achaschverosch. De nomine Achaschverosch vide supra cap. 6. ad v. 1.] ex semine Medorù, quo [népe anno] factus est Rex. [Vulgata Latina, qui imperavit: & Græca, ἡβραϊστικῶς: at verbū Hebraicum דָּרְיָוֶשׁ non est activum, sed passivum, quia conjugationis Hophhal: ideo verbi passivè, rex factus est vel rex constitutus est] in regno Chaldæorum.

2. Anno, inquam, primo regni ejus, ego Daniel attentè consideravi [דָּרְיָוֶשׁ est præteritum primæ personæ conjugationis Hiphhal sine characterè conjugationis pro דָּרְיָוֶשׁ à radice דָּרַשׁ quæ significat propriè intrinsicè mente considerare, animum certa dispositione, distinctione & judicio intendere, accuratè perpendere. Vulgata Latina habet, intellexi, sicut Græca εὐνοῖα] in libris, numerum annorum de quibus fuerat verbum Iehovæ ad Ieremiam prophetam, ad implendam desolationem Ierosolymorum, septuagesimum annum esse.

3. Et adhibui [Hebr. ad verbum, dedi. Vulgata Latina, posui. Græca consentit cum Hebræo; habet enim ἰδύνα] faciem meam ad Dominum Deum, quærendo oratione & deprecationibus [Vulgata Latina reddidit per verba, rogare & deprecari, omisso verbo querendi: sed in Hebræo sunt nomina. Græca, τὸ ἐκζητῆσαι καὶ προσεχθῆναι θεῷ. Sed Deum potius quaesivisse seu requisivisse oratione & precibus intelligitur, quàm orationem & deprecationē] cum jejuniis, & sacco [Nomē פָּשׁ in plurib. est linguis, in Græca ἄνυξ, in Latina saccus, in Germanica sack, in Bohemica sat.] & cinere.

## Analysis.

Et si singula capita libri Danielis uberrimam doctrinam continent: tamen hoc caput longè antecellit cæteris, estq; velut gemma preciosissima anaulo inserta. Proinde studebimus, Deo benedicente, diligenter illud enarrare: ac primò partes ejus monstrabimus: deinde singulas ordine tractabimus. Capitis noni duæ sunt partes: Prima pars est oratio Danielis ad Deum; Secunda, est responsio Dei ad orationē Prophetæ. Orationis hujus commemoratur tum preparatio, tum summa. Preparatio continet tria, occasionem, orantis dispositionem & adjuncta ad orationem

orationem accendendam adjuncta. Occasio seu causa quæ effecit ut orationem illam Propheta ad Deum haberet, fuit attempta consideratio promissionis divinæ de instauratione Jerosolymorum. Considerationis istius indicatur tum *adjuncta*, tum *subiecta*. Adjuncta duo, nempe tempus & adjunctum occupatum seu persona considerationi istius dedita, seu in consideratione ista occupata. Quod ad tempus attinet, his illud verbis designatur: *Anno primo Darij filij Assueri ex semine Medorum, qui factus est Rex in regno Chaldeorum: Anno (inquam) primo regni ejus.* In qua designatione temporis duo accuratè inculcantur, *annus & persona Regis.* De anno dicitur, quod fuerit *primus Darij Regis* seu regni Darij quo anno factus est Rex in regno Chaldeorum. Nam antea etiam in Media regnaverat: at post occupatam Babyloniam à Cyro in Persidem & Carmaniam cogitante regni Chaldaici habenas accepit, ut diximus ad versum 1. capitis sexti. Dicitur autè bis, quod fuerit *primus*: ut tantò diligentius tempus completi vaticinij Prophetæ Jeremiæ notaretur; nam idem ille annus fuit septuagesimus seu annus promissæ liberationis populi Judaici ex captivitate Babylonica & instaurationis Jerosolymorum. Persona Regis Darij diligenter etiam describitur, quod fuerit filius Assueri seu Cyaxaris de quo in capite sexti enarratione diximus; *ex semine Medorum*: ut discernatur à Dario Persæ cujus secundo regni anno templum ædificatum est Ezr. 4. vers. 24. Porphyrius Darios istos non distinxit, ut haberet materiam cavillandi Daniele. Ceterum temporis hujus designatio non tantum ad sedulam illam meditationem Prophetæ pertinet, sed etiam ad orationem ejus, imò etiam ad insignem illam revelationem septimanarum septuaginta: eodem enim tempore Daniel annum liberationis perpendit, preces cœcepit & revelationem illam 70. septimanarum accepit. Unde observandum: Deum opera sua mirifica exhibere temporibus maximè illustribus: quemadmodum vaticinium septimanarum septuaginta promulgavit tempore plurimum celebri ex eventu memorabili & omnibus notissimo, nempe principio Monarchiæ Medorum & Persarum. Non est quidem Deus temporibus alligatus, sed pro liberrima sua voluntate edit opera sua quando ipsi placitum est: accommodat se tamen hac in re nostræ infirmitati & ut memoriæ nostræ consulat, ea opera quorum nos singulariter vult meminisse conjicere solet in id tempus quod aliis etiam illustribus eventibus est notissimum. Ita Christum voluit pati & mori tempore Paschæ: Spiritum Sanctum è cælo in Apostolos effudit die Pentecostes: quæ tempora apud Judæos & Christianos sunt maximè solennia.

*Hæc de tempore.*

Persona considerationi istius dedita fuit Daniel: sicut inquit: *Ego Daniel attentè consideravi.* Propheta nimirum eximus, cui Deus dederat no-

titiam & intelligentiam in omnibus literis & sapientia, quem peritum reddiderat in omni visione & somniis, ut est suprâ cap. 1. vers. 17. qui in omnibus rebus ad peritiam intelligendi pertinentibus quas requisiverat ab eo Rex Nebucadnetzar, inventus fuerat decuplo superior omnibus Magis & Astrologis qui in toto regno ipsius erant v. 20. propheta, inquam, tantus diligenter legere Scripturam Sanctam eamq; attentè considerare non dubitavit. Est hoc præclarum laudatissimæ docilitatis & summæ modestiæ exemplum, ad imitandum nobis omnibus propositum. Quamvis sit quispiam doctissimus, quamvis exercitissimus, quamvis Danieli æqualis sit scientiâ & cognitione: tamen sese eximere nõ debet è numero discentiũ & proficere cupientium. Quem inflat scientia sua, ita ut non dignetur discere ab aliis servis Dei, nondũ quicquam novit sicut oportet nosse. *Si quis sibi videtur aliquid, quum nihil sit, hunc suus ipsius animus seducit, Gal. 6. v. 3.*

*Sic explicata sunt adjuncta duo considerationis.*

Subjecta ejusdem occurrunt itidem duo: primum est, **Ubi** Propheta consideraverit promissionem Dei de populi sui liberatione: nimirũ *in libris*, videlicet tum Ieremiæ Prophetæ, tum sacrarum historiarum de captivitate populi Judaici conscriptarum. Quòd indicat se *in libris* attentè considerasse, eo ostendit se neque propriis suis cogitationibus deditum fuisse, neque humanas aliorum conjecturas vel opiniones sectatum: sed scripta divinitus tradita consuluisse. Unde colligimus Sacram Scripturam à Deo nobis datam, in qua legere & considerare possimus mysteria cælestia ad nostram salutem pertinentia. Proinde illam in magno precio habere, illam cupidè legere, illã attentè meditari debemus, moti exemplo Prophetæ Danielis qui licet ipse Propheta esset & Doctõr Ecclesiæ, nõ gravatus fuit Ieremiæ Prophetæ discipulus fieri & ex ipsius libris proficere. Nemo tam doctus est, quin ei aliquid desit ad salutarem cognitionem Dei, operum ejus & salutis æternæ. Id ubi rectiũs & certiũs reperiet, nisi ubi Daniel tempus liberationis populi sui intellexit, nimirum in libris divinis? Ideo præcipit Paulus Timotheo, ut attendat lectioni 1. Tim. 2 v. 13. Quocirca statuendum, in librorum Sacræ Scripturæ lectione & meditatione nobis assiduè versandũ, ex quibus tum ipsi informemur, tum ad alios informãdos instituamur. Observamus etiam hinc, fabulam esse quòd Judæi aliiq; nonnulli putaverunt, Scripturam sacram univèrsam intercidisse tempore captivitatis Babylonice, quando civitas eversa & templum incensum fuit, ab Ezra autem post captivitatem esse restitutam, Spiritu Sancto ei suggerente atq; omnia, sicut antea fuerant, dictante quinq; viris, qui summa celeritate, quæ ab eo dicebantur, excipiebant, atque eo modo univèrsam Scripturam, quæ planè perierat, fuisse reparatam. De qua fabula vide librum quartum Ezræ cap. 4. v. 23. & cap. 14. v. 21. & sequentibus.

bus. Sed vanitatem hujus fabulæ præfens Danielis locus convincit: Si enim Daniel in libris prophetæ Jeremiæ numerum annorum captivitatis Judaicæ consideravit: non igitur Scriptura univerfa interciderat. Quapropter facessat blasphema illa & contumeliosa in Dei Ecclesiam fabula.

Hucusque primum considerationis subiectum: Secundum est, Quid Daniel consideraverit, nimirum numerum annorum de quibus fuerat verbum Jehovæ ad Jeremiam Prophetam, ad implendam desolationem Jerosolymorum, septuagesimum annum esse. Consideravit igitur promissionem Dei de liberatione populi Judaici ex captivitate Babylonica, quam liberationem exactis 70. annis se præstiturum pollicitus fuerat Deus per Jeremiam Prophetam cap. 25. v. 11. 12. *Servient gentes istæ Regi Babylonici septuaginta annis. Deinde erit completis septuaginta annis, ut animadvertam in Regem Babylonici & in gentem illam, dictum Jehovæ, iniquitatem ipsorum, denique in terram Chaldaeorum: exponamque gentem illam desolationibus perpetuis. Et cap. 27. v. 5. 6. 7. Ego feci terram, homines & jumenta, quæ sunt in superficie terræ virtute mea maxima & brachio meo exteato, ideo trado illam cui rectum videtur in oculis meis. Nunc itaque ego trado omnes regiones istas in manum Nebucadnezaris Regis Babylonici servi mei: quin etiam bestias agri trado ei ut serviant ei. Servient autem ei omnes istæ gentes, filioque ejus & nepoti ejus, donec adveniat tempus terræ ipsius etiam illud, quum servitatem exigent ab eo gentes amplæ & Reges magni. Et cap. 29. v. 10. & sequentibus: Sic enim ait Jehovæ: nam ubi implebuntur Babylonici septuaginta anni, visitabo vos: & præstabo erga vos verbum meum illud optimum, reducendo vos in locum hunc: Quum ego agnovero dandas vobis cogitationes quas ego cogito de vobis, dictum Jehovæ, cogitationes prosperitatis, non autem adversitatis, dandum vobis finem, eumque expectatissimum. Quum invocaveritis me ut abeat, & oraveritis me: tum exaudiam vos: Et quærentes me invenietis, quum requisiveritis me ex toto animo vestro. Præsto enim futurus sum vobis, dictum Jehovæ: & reducturus captivos vestros, congregaturusque vos ex omnibus gentibus, & ex omnibus locis quò depulero vos, dictum Jehovæ: & reducturus vos in locum hunc unde deportavi vos. Hujus promissionis attendita consideratio præparavit & excitavit Prophetam ad preces ardentissimas. Cur autem illa tantopere fuerit affectus, docet ipse, cum ait, fuisse verbum Jehovæ. Ergo quia persuasum habuit, promissionem per Jeremiam annūciatam, verbum Jehovæ esse: credidit & ut præstaretur oravit. Discimus inde, solum Dei verbum, fidei & invocationis nostræ fundamentum esse: non verò autoritatem Ecclesiæ: sicut Daniel non fuit motus autoritate Jeremiæ, sed Dei, cujus verbum protulit Jeremias. Nos non possumus aliter precari cum vera fiducia, nisi ubi innixi sumus Dei verbo.*

*Hæc de occasione precatōnis Propheta: sequitur de orantis dispositione, quam hæc verba ostendunt:*

*Adhibui faciem meam ad Dominum Deum, quærendo oratione & deprecatione.*

nibus. Dispositio illa duabus partibus continetur, adhibitione faciei ad Dominum Deum & requisitione. Adhibuit faciem ad Dominum Deum non tantum convertendo se versus Ierosolyma, ut fecit cap. 6. v. 11. sed etiam elevando animum ad Deum. Nam externa illa conversio vultus ad Deum, fuit symbolum internæ applicationis animi ad eundem. Requisivit autem Deum oratione & deprecatione: *oratione*, quæ erat postulatio cõmunicationis bonorum quibus indigebat: *deprecatione*, quæ erat postulatio ablationis malorum, in quibus hærebat, quibus premebatur cum tota Ecclesia Iudæorum.

*Ista breviter de orantis dispositione.*

Adjuncta ad orationem accendendam adjuncta adhibuit duplicia, unum internum, cætera externa. Internum adjumentum fuit jejunium, hoc est, abstinencia ab omni cibo potuque, ne anima corpore præpediretur in precum ardore. Externa adminicula fuerunt duo: faccus quo fuit circumdatus pro amictu: & cinis quo fuit conspersus pro odore pulvisculo aut liquore: ut his non tantum velut signis & abjectionem sui ostenderet & testificaretur quod reus esset, ac proinde indignus qui coram majestate Dei compareret: sed etiam ut magis se accenderet ad studium precandi. Usus jam videamus. *Primo* observandus hinc insignis locus de præparatione ad orandum. Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne festinet proferre quicquam coram ipso Deo: nam Deus ipse in cælis est, tu autem super terram: ait Ecclesiastes cap. 5. v. 2. Non est ergo orandum, nisi animo prius benè ad id præparato. Quomodo autem sit præparandus, docet exemplum Danielis. Ut enim Daniel Sacra Scripturæ lectione & attentâ meditatione se exsuscitavit ad preces: ut sese totum applicuit ad Deum, quærendo eum oratione & deprecationibus: ut adhibuit adjuncta ad ardorem precandi augendum: ita nos exemplo ejus facere par est. Precaturi igitur, *primum* cum devotione religiosa, in Sacra Scriptura legamus, ut diligenti cõsideratione voluntatis, operum, beneficiorum, promissionum, comminationumq; Dei, nostræ item aliorumq; miseriæ & indigentia agnitione & seria cogitatione ad preces stimulemur. *Secundo* adhibeamus facies nostras ad Dominum Deum, quærendo eum oratione & deprecationibus, hoc est, aliis omnibus negotiis sepositis, ut simus ab aliarum rerum cura soluti & liberi, penitus adjiciamus animos ad precationem, attollamus nostros animos ad Dominum Deum nostrum, Psal. 25. vers. 1. & coram eo ipsos effundamus Psal. 62. v. 9. *Tertio* quia omnes alioqui frigidi & remissi sumus, adjungamus ea adjuncta, quibus nos accendamus & extimulemus ad precandi ardorem: nimirum corpus contundamus & in servitutem redigamus, ut Paulus loquitur 1. Cor. 9. v. 27. domemusque jejuniis & abstinencia: nam ipsa etiam experientia docet, curatum & saburratum corpus esse animæ in rebus sanctis impedimentum maximum.

num. Domandum igitur corpus, ut anima ad precum attentionem expeditior reddatur. Adhiberi possunt & aliæ ceremoniæ nempe ut humi in genua procumbamus, ut manus ad Deum pandamus, & si quid ad vehementiorem precandi affectum nos stimulare potest. Nam si tantus Propheta opus habuit adminiculis: multò magis nos egemus.

Secundò observamus hîc, duplices esse preces ad Deum: unas *ordinarias*, alteras *extraordinarias*. *Ordinarie* sunt, quas ordinariè singulis diebus concipere debemus, mane, vesperi, ante & post laborè, ante & post cibum, in principio & sine quotidianarû concionum Ecclesiasticarû. Sic Daniel quotidie tribus vicibus precabatur: suprâ cap. 6. v. 11. *Extraordinariæ* sunt, ubi vel Dei iram peculiaribus signis nobis denunciata vel magnum aliquod periculum nobis imminens deprecari, vel singulare ejus auxilium vel aliquid rarum ab ipso petere necesse habemus. Sic fuerûnt istæ preces Danielis extraordinariæ, cum adesset tempus magnæ liberationis, cujus gloria non futura erat minor gloriâ educationis populi Israëliti ex Ægypto. Ita hodie concipere solemus preces extraordinarias imminente bello, vel sæviente peste, aut in Magistratum novorum constitutione, vel idoneorum Ecclesiæ ministro- rum electione aut consecratione.

*Tertiò* de jejuniis hîc duæ quæstiones incidunt: Una est, *An jejunium sit cultus Dei, & opus meritorium ut loquantur?* Resp. Non est: quin per se non est gratum Deo, sed propter aliud.

Secunda est, *quando jejunium cum precibus conjungendum?* R E S P. Angustiarum, graviorumq; calamitatum aut imminenti maximæ iræ Dei tempore, aut cum singulare aliquod beneficium à Deo est impetrandum, precibus adhiberi solitum fuit ab Ecclesia Dei, atque etiamnum adhiberi debet jejunium: idque tum in testimonium pœnitentiæ: tum ad comprimenda vitia carnis: tum verò maximè, ut mens, quò minùs intenta esset deliciis corporis, eò magis attenda fieret ad ea quæ sunt Spiritus, & ut in precibus esset ferventior. Exempla sunt Iud. 21. Filij Israël cum fuissent graviter cæsi à Benjaminitis, sedentes humi ac jejunantes flebant & orabant ad Dominum. Esthera jejunium adjunxit precibus intercessura pro suo populo. apud regem Assuerum. Esth. 4. v. 16. Antiochena Ecclesia cõjunctit jejunium cum precibus cum Paulus & Barnabas essent dimittendi ad opus ad quos Dominus illos destinarat Act. 13. vers. 3.

*Vers. 4.*

Et precatus sum Iehovam Deum meum, & confessus sum; ac dixi, Obsecro [כַּחַסְדִּים est interjectio propriè animi affectum & motum significans, exclamantis, ô vel queso vel obsecro. Sex per ׀ scribi notat Masorèth, alia per ׀. sub priore ׀ est Cametz, licet ׀ Dagesatur. Græca hanc interjectionem omittit] Domine [יְיָ] Istud nomen cum de Deo rerum omnium

creatore usque patitur, habet semper sub Nun vocalem Kamétz; sicut & hoc loco: Homini tributum habet Pátach, nisi propter appositionem valentioris accentus, vocalis Pátach mutata sit in Kamétz. ] Deus ille fortis, magnus ille & terribilis ille [ *Vulgata Latina* 7 *Emphaticum non expressit: Græca in prioribus duobus habet, & dicit & únyas, in tertio omisit: habet enim simpliciter* *ὁ θεὸς ὁ δυνατός*, potest tamen articulus subintelligi *ἀπὸ κοινῆς* ] servans fedus & benignitatem amantibus ipsum [ *Vulgata Latina, diligentibus te, & Græca, τοῖς ἀγαπῶσί σοι*: mutato pronomine tertia persona in pronomem secunda, sed sensu manente eodem cum Hebræo: Sic etiam in sequente membro ] & observantibus mandatorum ipsius. [ *Vulgata Latina, & custodientibus mandata tua*: Sic *Græca, καὶ τοῖς φυλάσσουσιν τὰς ἐντολάς σου*, mutatione pronominis facta ut antea, sed absq; sensus variatione. ]

Absoluta præparatione ad orationem: sequitur jam orationis summa, quæ primò breviter comprehenditur, deinde prolixè recitatur, sed ὄργου ἡ γόργου. Breviter summam orationis suæ complectitur Propheta, cum ait: *Et precatus sum Jehovah Deum meum & confessus sum*. Ostendit igitur duo se fecisse, nempe, precatum esse Jehovah & confessum esse videlicet tum peccata sua & totius populi Judaici, tum iustitiam Dei jure ipsos castigantis. De precatione hoc in loco duo sunt observanda: unum est, quod nam sit ejus subjectum seu ad quem sit dirigenda: nimirum ad Jehovah Deum nostrum, Quod idem præcipitur Deuter. 6. v. 13. & 10. v. 20. & Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*. Unde colligitur, gravissimè peccare Papistas, Gentiles & omnes eos qui ad creaturas religiosum istum honorem transferunt, quum Dei sit proprius. Papistæ invocant Angelos, demortuos sanctos, imagines Dei & sanctorum, crustulum ut Romæ palàm ac publicè nominatur (Anastaf. Germon. Protonotar. Apostolic. de sacror. immunit. l. 3. c. 1. §. 20. Ex typographia Apost. Vatican. ad Gregorîi xiv.) crustulum inquam seu hostiam consecratam aut Deum panaceum: reliquias Christi, ut sudarium & mappam quâ constricta fuit mensa in qua Christus ultimum Pascha celebravit & Sacram Cœnam instituit. Sudarium sic invocant: *Sancte sudari, ora pro nobis*: Mappam verò, *O sanctissima mappa Dei ora pro nobis*. In altero duorum celeberrimorum templorum urbis Turonensis, inter reliquias crux erat auro obducta, achatem habens illigatum, cui artificiosissimè insculpta spectabatur Venus, cum Marte & Cupidine. Ista crux, ob additum rubriligni crustulum, quod de vera Christi cruce esse dicebant, augustissimis festis adorabatur à populo, devotè imagines osculante. Histor. Ecclesiast. Ecclesiar. reformat. in Gall. lib. 7. Adorari imaginem Christi, præsertim die Parasceves, adeo solenne est, ut magnum Jesuitici ordinis ornamentum Gregorius de Valentia lib. 2. qui Apologeticus de idololatria inscribitur, cap. 7. latriam idolis à se tribui & idololatriam committi fateatur. Verùm ne sine ratione

tione Angelos & Divos invocare videantur, factum suum exemplis è Scriptura petitis probare nituntur. Ajunt Jacobum invocasse Angelum Gen. 48 v. 16 cùm dixit: *Angelus ille, qui eruit me ab omni malo, benedicit pueris istis.* At Papistę decipiuntur & decipiunt homonymiã quæ est in nomine Angeli. Nam Jacobus non intellexit Angelũ aliquem creatum, sed æternum Dei Filium, qui Angelus dicitur propter officium. Idq; satis ostendit contextus: nam huic Angelo & Jehovah eadem tribuitur actio à Jacobo, nempe, ut benediceret Ephrajimo & Manassi. Iam quorum actio est una & eadem, eorum una & eadem est essentia. Non igitur creatum Angelum Iacobus invocavit. Ajunt quòd Iobus Angelos invocaverit, cap. 17. v. 21. dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei: quia manus Dei plagis afficit me:* Hic per amicos intelligi ab Augustino Angelos, scribit Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 19. At his verbis Iobus non invocavit Angelos, sed misericordiam imploravit amicorum suorum, qui ipsius invisendi causã venerant, sed accusationibus acerbis & contumeliis verborum eum vexabant. Rogat igitur illos, ut adhibeant potiùs commiserationem & consolationem, quàm reprehensiones illas amaras, quibus animum ipsius affligebant: & rationem addit, *quia manus Dei plagis afficit me.* q. d. Afflicto non est addenda afflictio. Videtis autem quòd manus Dei me affligat: nolite igitur ampliùs me affligere, sed potiùs commiseratione aliquã mei ducimini. Adducunt præterea Romanenses exemplum Iohannis, quem dicunt ad Angelos invocationem direxisse Apocal. 1. v. 4. ubi ait: *Gratia sit vobis & pax à Qui est & Qui erat, & Qui venturus est: & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Hic, ajunt Iohannem petere à septem Spiritibus eadem, quæ ab æterno Deo, videl. gratiam & pacem. At fallere conantur Papistæ homonymiã. Nam per hos *septem Spiritus* non sunt intelligendi septem creati Angeli, sed (ut orthodoxè explicat Fr. Iunius) Spiritus Sanctus, procedens à Patre & Filio, qui Spiritus persona quidem una est secundum subsistentiam, sed communicatione virtutis operumque divinorum demonstratione in septem illas Ecclesias, ad quas epistolæ septem Iohãnes scripsit, ita se perfectè aperiebat, ac si totidem essent spiritus, perfectè in sua quisq; Ecclesia operantes. Quapropter Apocal. 5. v. 6. *septem cornua & oculi Agni* iidem septem spiritus dicuntur, pro eo quod est, absolutissima virtus & sapientia illius: & cap. 3. v. 1. Christum habere septem illos spiritus dicitur: & cap. 4 v. 5. septem lampades ardere coram throno ejus, quæ sunt illi septem spiritus Dei. Hæc ita accipi oportere, demonstratur his modis. Nam primùm gratia & pax à septiformi hoc Spiritu petitur, quod opus divinum est, & secundum gradum divinæ majestatis planè incommunicabilis actio: tum inter Patrem & Filium recensetur, velut in eodem gradu dignitatis & operationis positus: Præterea ante thronum est tanquam *quiescens*, ut septè oculi & cornua agni; atqui oculi & cornua sunt

de Agni substantia: Item nusquam hi Spiritus septem Deum leguntur adorare, ut omnes alij: Hæc illa deniq; virtus est, quâ Agnus aperuit librum, septeq; sigilla ejus resignavit, cum nemo dignus in rebus creatis inventus esset, à quo aperiretur liber, ut cap. 5. dicitur: ex quo loco evidenter colligi potest, septem istos Spiritus, nequaquam Spiritus creatos esse, sed Spiritum Sanctum. Cum hac explicatione consentit sententia Iustini Martyris, qui in Parænesi ad Græcos sic ait: *ὁ ἅγιος πνεῦμα τὸ ἓν ἢ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, οὐκ ἐστὶ πνεῦματα μὲν ἑκάστα χωρὶς*: Sancti Prophetæ unum & eundem Spiritum, in septem Spiritus dividi dicunt. Cum hac explicatione congruit Glossa ordinaria interlinearis, cujus hæc verba sunt: *A septem spiritibus, hoc est, à septiformi Spiritu, qui quidem unus naturâ, gratiarum distributione multiplex.* Congruit & Glossa marginalis, quæ ita habet: *Personam Patris tacet, quoniam de Deo creatore nemo male intellexerat: ponit personam Filij & Spiritus Sancti, de quibus omnes nascuntur in Ecclesiis hæreses.* Ex his quæ dicta sunt liquet, Iohannem non septem creatos Spiritus, sed Spiritum Sanctum septiformem his verbis invocasse.

Depulsi ab hoc exemplo, aliud Iohannis exemplum allegant ex Apocal. 19. vers. 10. & cap. 22. vers. 8. ubi Iohannes dicit, *se procidisse ante pedes Angeli ut adoraret eum.* At peccant allegatione exempli non probati, & minimè idonei: nam ibidem adjicitur; *Hoc factum ab Angelo ipso improbatum & reprehensum esse.* Replicat Bellarminus duo: Primum, Iohannem non esse reprehensum ob errorem adorationis, sed ob errorem personæ, quia fortè Angelus sic apparuit, ut potuerit existimari Christum: dixerat enim cap. 1. *Ego sum primus & novissimus, & fui mortuus ecce sum vivens.* At hoc Scripturæ repugnat: nam Angelus expressè adorari se vetat, quod ipsemet Bellarminus fatetur, cum mox subjicit, Angelum rectè fecisse recusando adorari: reprehendit igitur factum adorationis & non errorem personæ. Ac quod de forma apparentis Angeli Bellarminus dicit, fortè Angelus sic apparuit ut potuerit existimari Christus; ad id respondeo, hoc non esse probare, sed opinari: non asseverare, sed dubitare, ac proinde id quod est in principio petere. Hoc verò certum est inscitix Jesuiticæ argumentum, quod hunc Angelum habet pro Filio hominis qui cap. 1. dicitur Iohanni apparuisse & ita diversas visiones confundit. Secundò replicat Bellarminus, Iohannem rectè fecisse quod Angelum voluerit adorare: at hoc repugnat manifestè reprehensioni Angelicæ. Nec rectè fecit Iohannes: quia Angelus eum reprehendit hoc facientem. Quicquid Angeli sancti reprehendunt, peccatum est: at factum hoc Iohannis Angelus sanctus reprehendit: Ergo factum hoc Iohannis peccatum fuit. Bellarminus triplicat, Iohannem voluisse iterum Angelum adorare, ideo rectè fecisse: nec enim suspicari licere, Iohannem aut obliviosum aut indocilem fuisse: At Iohannem iterum voluisse Angelum adorare, certò probari nequit: cum ea quæ Apoc. 22. dicuntur, solummodò contineant re-

petitam

petitam narrationē ejusdem rei gestæ quæ fuit Apoc. 19. Deinde etiam si concederetur Iohannem iterum hoc fecisse, quia tanta fuit illius Angeli majestatis: non tamen sequeretur, eum propterea recte fecisse: sed duplex potius fuerit hoc Iohannis peccatum, uti triplex peccatum Petri in trina abnegatione Christi. Nullum igitur istorum exemplorum probat, Angelos esse invocandos. Tantum de primo quod hoc in loco de precatione observandum: nimirum, ad quem precatio sit dirigenda, videlicet ad Jehovaham.

1<sup>o</sup> *Secundum* est, quomodo Iehova in precatione considerandus sit: nempe ut *Deus noster*: id quod duplici ratione, prima est, quia est Deus noster propter fedus gratuitum inter ipsum & nos, cujus federis formula est, *Ero Deus tuus & seminis tui post te &c.* Altera est, quia in ipso fiduciam collocamus, & confidimus ipsum preces nostras exauditurum. Unde sequitur, orandū esse cum certa fiducia quæ nitatur firmitate federis gratuiti & promissionum Dei factarum invocantibus cum spiritu & veritate: Sic oravit Daniel. Ideo non dicit simpliciter, *oravi Jehovaham*; quia etiam increduli sæpe Jehovaham orant: sed addidit, *Deum meum*. q. d. in quo fiduciam colloco, quia mecum fedus æternū iniit, quia se exorabilem futurū credētibus promisit. Talis fiducia ab incredulorū orationibus abest.

*Hæc duo occurrunt hoc loco de precatione.*

De confessione sua inquit Daniel: *Confessus sum*, nimirum tum peccata mea & populi mei, tum iustitiam Dei merito nos castigatis. Confessio vel *publica* est vel *privata*: illa fit in publico cōventu Ecclesiæ, sive sit totius Ecclesiæ simul, sive unius aut plurium coram Ecclesia: hæc verò privatim fit etiam ab uno, sive sua solius sive aliorum simul peccata confiteatur. Utraque vel *ordinaria* est, vel *extraordinaria*. *Ordinaria* est, quæ in quotidiano usu est: *Extraordinaria* autem, quæ ob peculiarē causam, magis quam unquā aliàs urgentem, instituitur. Præfens Danielis confessio est *extraordinaria*, ad quam impulsus fuit causâ extraordinariâ & eo tempore quo illam instituit magis urgente, quam antea. Ac privata est quidem, sed non solius Prophetæ, verum totius populi Iudaici nomine facta. Hoc notari diligenter debet, quod confessionem peccatorum suorum ediderit tantus Propheta, & quidem post fidei ac innocentie suæ multiplicem gratiam, post dignationem Domini circa virtutes ac laudes suas sæpe repetitam, ut loquitur Cyprianus Tractatu de Lapsis cap. 26. Hac confessione pœnitentiam est testatus, ac proinde cum resipiscentia conjuncta oratio Prophetæ fuit. Unde colligimus, quam necessaria confessio peccatorum nobis sit, qui majoribus & pluribus peccatis obstricti sumus, quam Daniel fuit: & quod cum pœnitentia seu resipiscentia nostræ quoque orationes acceptæ esse debeant. Hactenus Daniel indicavit breviter summam orationis suæ: deinceps prolixè eam commemorat, pmissio exordio bipartito, cujus prima pars est testificatio

vehementis affectus, cum ita patheticè inchoat orationem: נַאֲרָ, Obsecro, quæ vox est index animi dolentis in exordiis ferè abruptis usitata. Ita Daniel multa de peccatis suis & populi & promissa liberatione volvens secum, & intus apud animum meditatus, erupit in hanc vocem, & cum magno animi dolore orationem istam habuit. Altera pars exordij est compellatio Dei, qua sibi Deum ante oculos statuit talem, qualè statuere debent, qui ipsum serio & sincero affectu invocant: intuens animo ac prædicans linguâ tum *attributa* ejus tum *effectum*. *Attributa*, cum ait, *Domine Deus ille fortis, magnus ille & terribilis ille*. Cum appellat *Dominum*, agnoscit jus & imperium illius in se & populum suum: nam *Dominus* is propriè dicitur, qui habet jus in rem vel personam aliquam. Appellans *יהוה Deum illum fortem*, agnoscit Deum tum essentiâ suâ esse fortissimum, atq; adeo ipsam fortitudinem, tum potentiam ejus se tam latè exserere, ut omnia ei suam quamcunq; habent virtutem & potentiam acceptam ferre cogantur: Simul etiam infirmitatem suam recognoscit. Cum appellat *magnum illum*, intelligit magnum non mole, sed virtute: & contra fatetur suam & totius mundi parvitatem, aut potius (ut ita loquar) nihilitatem. Cum appellat *terribilem illum*, agnoscit ejus majestatem & in judiciis suis exercendis summè formidabilem omnibus, plis verò summè reverendum. Ac ista sibi attributa ante oculos Propheta proposuit hoc fine, ut se planè abjiceret coram Deo cum metu & tremore.

*Effectum* verò Dei hoc sibi proponit, quòd Deus *seruet fedus & benignitatem*. De federe Dei nobiscum aliàs est dictū. *Benignitas* autem Dei, quæ Hebraicè *רַחֲמִים* dicitur, est voluntas propensissima, quâ Deus plus nobis bene facit, quàm teneatur, quâ nobis beneficia gratuita largitur: est affectus nobis benefaciendi gratuitò & plura præstandi, quàm tenetur. Cum ergo Propheta dicit, *Deum servare fedus & benignitatem*, tribuit Deo laudem constantiæ & gratuitæ beneficentiæ, ac contrà agnoscit suam populiq; sui inconstantiam, perfidiam & indignitatem. Simul amplificandi gratiâ adjungit subjectum *quod, hoc est*, cui Deus servet fedus & benignitatem: nempe *amantibus ipsum & observantibus mandata ipsius*. Quæ verba non ita accipienda sunt, ac si Deus propter amorem nostrum in ipsum & propter obsequium nostrum, fedus & benignitatem servaret: nam Propheta non docet propter quam causam, sed solummodò, quibus hominibus Deus pactum & benignitatem servet: nempe diligentibus ipsum & observantibus mandata ipsius. Id autem hoc fine docet, ut toti populo qui in captivitatem illam tristem abductus fuerat, abscinderet omnem ansam conquerendi de Deo, quasi fedus non servasset: Quia Deus servat fedus non quibusvis, non perfidis & pacta violantibus; Sed diligentibus ipsum & obedientibus. Quòd igitur Deus non servarit fedus & benignitatē Israëlitis è terra Chanaan expulsis & in acerbissimam servitutem reductis; in culpa ipsosmet esse Israëlitas,

Israëlitas, qui priores à pacto discesserint, & nec Deum dilexerint, nec mandata ejus observarint, ut debebant: nō esse igitur causam, cur Deū accusent, sed potiùs seipfos.

*Caterùm in isto exordio notandi sunt hi loci.*

*Primus* est, quo affectu peccata nostra Deo confiteri, & ipsum precari debeamus: nimirum, cum serio & vehementi dolore animi, exemplo Danielis. Sunt quidam quos Apostolus Eph. 4. v. 19. vocat ἀπληγμάτας (à verbo ἀπαγγίω, hoc est, dedoleo,) qui omnem sensum doloris amiserunt quasi cauterio amputatâ conscientiâ, qui non dolent de ullo peccato admisso, sed quasi callum obduxerunt dolori: & tales quidem sunt omnes non regeneriti, ut erât Gentiles. Sæpe verò etiam renati exiguo doloris sensu, ob peccata admiffa, tanguntur; ideo non ita seria est ipsorum confessio ut debebat. Antequam ad confessionem peccatorū & invocationem accedas, priùs intus apud animum tuum fœditatem & magnitudinem peccatorum tuorū, tuamq; miseriam & indignitatem meditare & solve, ut oratio quam lingua prolaturus es, non nascatur in ore, sed in corde: ac proinde cū vero ac nō simulato dolore sit cōjuncta.

*Secundus* locus est, qualem nobis ante oculos nostros statuere debeamus Deum, cū res adversas patientes peccata nostra ei cōfiteri & ab ipso misericordiâ petere volumus: nempe talem qui sit Dominus noster, in nos omne absolutumq; jus atque imperium obtinens: qui sit Deus ille fortis: magnus ille: ac terribilis ille: & servans fedus & benignitatem diligentibus ipsum & observantibus mandata ipsius: idque hoc fine, ut nos penitus dejiciamus coram ipso, ut prodeamus in conspectum ejus cum metu, & appareamus cum tremore coram ipso ut fortissimo, ut maximo, ut formidabili & summè reverendo: ut ipsi tribuamus laudem justitiæ & constantiæ, & contrà agnoscamus nostrâ injustitiâ & perfidiam, quâ in multiplici violatione federis cōmissimus.

*Tertius* locus est, quibus Deus servet fedus & benignitatem: nempe diligentibus ipsum & observantibus mandata ipsius. Idem doceret Exod. 20. v. 6. ubi dicitur, *Deum exercere benignitatem in millesimos* (vid. à patribus) *qui diligunt ipsum & mandata ipsius observant.* Unde sequitur, primò tum præstiturū nobis Deum quod in federe suo pollicitus est, quum & nos bona fide federis articulos, quibus nos adstringimur, servaverimus. Secundò, Deum nunquam pœnis nos subjicere, nisi cū peccatis nostris provocatur. Nec mirum si Deus non servet fedus & benignitatem, illis à quibus odio habetur & qui mandata ipsius contemnunt. Tertio, Deo nec posse nec debere nos culpam nostrarū adversitatum adscribere, sed nobis ipsis, qui pactum Dei violavimus.

*Quartus* locus est, quid sit præcipuum in vero cultu Dei: videlicet, ut Deum diligamus & dilectionē erga ipsum observatione præceptorum ipsius testatam reddamus. Ergo nihil erit momenti in externa observatione, nisi promanet ex amore Dei; & vana est gloriatio de dile-

ctione in Deum, nisi tota respondeat vita. Non enim possunt disjungi, amor in Deum & obedientia erga mandata ipsius.

*Vers. 5. & 6.*

5. Peccavimus, & iniquè egimus, improbè fecimus וַיַּעֲשׂוּ *Masóreth annotat Vau copulam ab initio omnino expungendam* ac rebellavimus [ *Vulgata Latina, recessimus. Sed וַיַּעֲשׂוּ significat aliquid amplius, nempe rebellare, deficere, ἀνομασία. Græca hoc verbum non habet* ] & recessimus [ *Hebr. ad verbum, & recedere. Est Enallage modorum. Vulgata Latina habet, declinavimus; rectè etiam: Sed Græca hoc etiam verbum omittit* ] à mandatis tuis & à judiciis tuis.

6. Et non auscultavimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo ad Reges nostros, principes nostros & patres nostros, & ad totum populum terræ.

Duas esse partes orationis Danielis nuper dictum est, nempe precationem & confessionem: eas nunc pluribus verbis exponit, sed ordine inverso. Nam primo loco recitat *confessionem*, secundo verò loco *preca-tionem*. *Confessionis* duæ sunt partes: Prima parte confitetur suam & totius populi injustitiam: secundâ, Dei in puniendis peccatis justitiam. In confessione injustitiæ duo occurrunt consideranda, nimirum *forma* confessionis & *materia*. *Forma*: quòd non singulari numero loquitur. Peccavi, iniquè egi, improbè feci &c. sed plurali numero, ac proinde communi nomine, suo & totius populi, ut ita neminem eximat, sed omnes reos constituat. *Materia* est accusatio sui ipsius & totius populi: quâ culpam agnoscit, & amplificat συναξισμῶ, coacervatione, accumulatione multarum vocum & formâ injustitiæ. Nam primò ait: *Peccavimus, iniquè egimus, & improbè fecimus & rebellavimus*. Ista verborum congeries magnum pondus habet: posterius enim quodque est gravius priore. Quum ait *peccavimus*, fatetur quòd aberraverint, quia à via vel scopo deflexerint, ubi rectâ erat ambulandum: Hæc enim propria verbi Hebræi שָׁגוּ significatio est. Quum subjicit, *iniquè egimus*, fatetur quòd ex aberratione à via, tortuosum & curvum iter sint ingressi ac propterea perversè ambularint: Sicut in varios errorum vitæ mæandros, anfractusque obliquos pervenire necesse est eum, qui semel à via regia, quâ rectâ incidendum erat, deflexit. Verbum enim Hebræum עָקַב propriè significat curvum esse, incurvari. Quum subdit, *improbè fecimus*: fatetur quòd magisque degenerarint, atque ex errore & infirmitate ad malitiosam improbitatè patrâdam proveci sint, quòd ad omne opus bonum ἀδύνατοι, reprobi facti, in res improbas incubuerint ac quasi peccandi artem factitarint: nec quieverint, donec ea scelera quæ animo cõceperant perfecissent. Verbum enim עָשׂוּ significat propriè inquietum & improbum esse: sicut improbi nunquam conquiescunt: quò etiam respicit Jesaias, comparans eos mari agitato & propulso assidue. Quum subnectit, *ac rebellavimus*,

lavimus, fatetur quòd obstinati evaserint, præfracti, irrisores reverentiæ Dei, & apostatæ: quòdque Deo quasi bellum intulerint; quemadmodum facere solent rebelles subditi, ut arma sumant adversus Magistratû, cujus jugum excutere desiderant. Hoc enim verbum Hebræum מַרְדּוֹ proprie significat, ut in translatione versus quinti dictum. Cæterum non frustra utitur Propheta tot verbis in confessione injustitiæ: sed ut se unâ cum toto populo acrius ad veram contritionem cordis exstimulet. Secundò amplificat culpam à forma injustitiæ, nempe recessione à voluntate Dei, cum ait: *Recessimus à mandatis & à iudiciis tuis: & non auscultavimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo ad reges nostros, Principes nostros & patres nostros & ad universum populum terræ.* Quibus verbis fatetur, quòd non ignorantiam voluntatis Dei peccarint, iniquè egerint, improbè fecerint ac rebellarint: idque duobus argumentis confirmat, primum est, quia habuerint mandata ac jura sibi à Deo tradita, ut essent regula vivendi à quibus tamen protervè recesserint. Mandatis adjungit *Judicia*, ut ostendat, nihil defuisse ipsis ad sufficientem & perfectam institutionem, ut gravior sit ipsorum culpa, quòd non fuerint dociles. Et *mandata* quidem dicuntur leges adstringentes ad rem aliquam observandam: *Judicia* verò seu *jura* sunt leges quibus jus suum cuique redditur & æquum ab iniquo discernitur. Secundum argumentum, quo confirmat quòd non ignorantiam peccarint, est; quia ipsis non defuerint assidui atque fidi Doctores Prophetæ, quibus non auscultarint, sed contumaciter omnia media salutis averfati sint. Hujus verò criminis gravitatè ostendit descriptione Prophetarum ab *adjuncto & effecto*. Ab *adjuncto*, cum appellat *servos Dei*: quia fuerunt legati Dei apud Ecclesiam & nuncij voluntatis divinæ. Ab *effecto*, cum dicit, *locutos esse in nomine Dei*, hoc est, annunciaffe quod in mandatis habuerunt, idque autoritate & verbis Dei qui ipsos miserat. Ac ne quis sese excusabilem esse putet, Daniel summam Prophetarum fidem in obeunda legatione commendat à subjecto, commemoratis iis apud quos legatione sua intrepidè sunt profundi, cum adjungit: *locuti sunt in nomine tuo ad Reges nostros, Principes nostros & patres nostros & universum populum terræ.* Quòd locuti sunt non tantum ad plebem & vulgus, sed etiã ad Patres, ad Principes, ad Reges denique, sequitur fidelissimè ipsos ac citra respectum personarum omnium ordinum homines ob peccata ipsorum reprehendisse, ipsisque iram Dei denunciassè. Tanto graviorem fatetur Daniel esse Israelitarum culpam, quanto præstantiores Prophetæ fuerunt, nempe Dei servi: & quanto fideliores in omnium statuum hominibus admonendis exstiterunt.

*Habemus sensum: videamus jam usum horum duorum versuum.*

Observandum hæc primò, *Quomodo nostram coram Deo injustitiam confiteri debeamus?* nempe non extenuando illam, nec uno tantum verbo

profitendo: sed exaggerando & prolixè illam agnoscendo, ut pluribus quasi stimulis nostram pigritiem urgeamus ad concipiendam veram & seriam tristitiam quæ est secundùm Deum, ad infigendum cordibus nostris Dei timorem, ad prosternendum & humiliandum nos coram Deo ut par est.

*Secundò* observandum, peccatorum esse gradus quosdam, sic ut nullum sit peccatum, quantumvis principio videatur parvum, quod non fiat maximum si in eo perseveretur. Qui enim principiis non obstat, & vel leviter à via bona defleat, nisi errorem sibi eximi patiat, ulterius progrediens intrabit quasi in labyrinthum quandam, in quo improbè currens callum peccandi obducet & Deo rebellabit. Quatuor itaq; gradus peccatorum hîc distinguuntur: *Primus* est levis aberratio à viâ quâ erat incedendum: *Secundus*, longior deflexio in avia & tortuosa loca: *Tertius*, insanus in obliquis itineribus cursus: *Quartus*, consummata in improbo cursu pertinacia, apertè reluctâs Deo in viam revocanti. Unde sequitur, neminè subito extremè malum fieri, sed successivè, nisi à Deo maturè revocetur: neminem etiam vocem Dei in primo vel secundo gradu cursum peccati inhibentis & ad frugem revocantis, asperrari debere.

*Tertio* notandum hîc, peccata graviora fieri duobus modis: primùm cum illi qui mandata ac jura Dei sciunt, tamen ab illis recedunt: secundò cum non auscultant fidis doctoribus & servis Dei, qui ad ipsos in nomine Dei loquuntur. Gravior est culpa eorum qui mandata ac jura Dei habentes peccant, quàm illorum quibus mandata ac jura Dei non sunt manifestata. Servus sciens voluntatem Domini sui & non faciens eam, duplici pœna est dignus. Et qui admonitus, peccare tamen pergit, magis vapulabit. Toti igitur pendeamus à mandatis judiciisque Dei, & obediamus servis Dei ad nos loquentibus.

*Quarto* observandum, regulam seu normam ad quam exigenda sint omnia nostra facta, esse Legem Dei, mandata ac judicia Dei nobis ante oculos statuentem. Quicumque igitur à mandatis ac judiciis Dei recedit, peccat.

*Quinto* notandum, non valere excusationem eorû, qui dicunt, se amplexuros Verbum Dei, si Deum ipsum vel Angelos audirent loquentes; inter homines omnia esse plena controversiis, ita ut nesciant cui sit auscultandum. Nam Deus loquitur ad nos per Prophetas: quisquis igitur Prophetis non auscultat, gravissimi sceleris est reus coram Deo: sicut Daniel accusat populum Israëliticum, quòd non obedierit Prophetis. Luc. 16. 29. *Habent Moysen & Prophetas audiant illos.* & v. 31. *Si Moysen & Prophetas nō audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, assentientur.*

*Sextò* occurrit hîc locus de veris Ecclesiæ Doctoribus: de quibus notandum primò, quòd sint servi Dei, nimirum quia sunt legati Dei apud nos; sunt nuncij voluntatis divinæ: Secundò, quæ sint illorum si-

gna, quibus agnosci possint. Signa hic sese offerunt duo: unū est, quod loquantur in nomine Dei, hoc est, nihil aliud, quàm verbum Dei. Alterū est, quod in reprehendis peccatis non parcant divitibus, non adulentur potentibus, sed absq; respectu personarum, omnium peccata coarguant, Regum, Principum, patrum, atque universi populi: sicut fecerunt Prophetæ, quemadmodum Daniel testatur, & sicut iussi sunt facere, quemadmodum Deus dat mandata Jeremiæ cap. i. vers. 7. & sequentibus. *Ad quæcunq; misero te, ito: & quæcunq; præcepero tibi, loquitur. Ne timeto ab istis: nam adsum tibi ad eripiendum te, dictum Jehovah. Et extendens Jehova manum suam, tetigit os meum: dixitq; Jehova mihi, ecce indo verba mea orituo. Vide præ facio te hodierno die gentibus ipsis & regnis, ad extirpandum & ad demolendum, & ad perdendum & ad destruendum: ad ædificandum & ad plantandum, hoc est, ad annunciandam aliis ruinam, aliis incolumitatē quam Deus ipsis allaturus erat. Sic loquitur Paulus de se & cæteris Apostolis aliisque Ecclesiæ fidei Doctoribus 2. Cor. 10. v. 3. &c. *In carne, non tamen secundum carnem, incedentes militamus. Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed divinitus valida ad subversionem munitionum. Ratiocinationes evertendo, omnemq; sublimitatem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei: & in captivitatē redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo: Et paratum habendo, quo vindicemus omnem contumaciam. Admonentur hinc ministri & doctores Ecclesiæ sui officij, nempe ut cogitent se servos Dei esse: ut in solius Dei nomine loquantur, hoc est, nihil aliud quàm quod Deus præscribit: ut ad omnes loquantur, ad Reges, ad Principes, ad Patres ad universum populum, & liberè omnes coarguant. Instruuntur etiam hinc auditores, ut dignoscant veros doctores à falsis, & sciant, illos esse fidos doctores, qui facto ipso declarant, se esse servos Dei, hoc est, qui in nomine Dei seu nihil aliud quàm quod verbo suo DEUS jubet loquantur, & qui pari libertate Magistratum & subditorum peccata taxant. Admonentur hinc iidem auditores, cujuscunq; sint status & ordinis, ut accusati & reprehēsi propter peccata sua à ministris Ecclesiæ: non tumultuentur, non indignentur, non irascantur ministris Verbi, sed potius apud se perpendant, in cujus nomine illi loquantur, & quod doctrinæ divinæ autoritas sit toto mūdo superior, adeo ut Reges, Principes, Magnates, Magistratus & quicunq; divites & potentes longissimè fallantur, si ab ea immunes se esse putent, quasi essent quodam singulari privilegio donati. Atqui Deus Verbo suo omnem mundi altitudinem prosternit, ut ipse solus emineat, ut etiam potentissimi quique agnoscant, ipsum esse Dominum. Discimus hinc, quanta sit doctrinæ Prophetiæ & Apostolice excellentia atque efficacia, quia cogit in ordinem Reges, Principes, patres & universum populum, & totam mundi altitudinem: subjicit Deo. Etiam si mille Reges sese objiciant, cursum & virtutem istius doctrinæ impedire non poterunt. Admonentur deniq; hinc subditi, ne putent sibi permissum esse peccata Regum, Prin-**

cipum & Magistratuū imitari, illorum voluntatibus in religione & moribus se accommodare, quod ipsis dūtaxat probatur, id sequi & facere: nam non magis Reges, Principes & Magistratus exempti sunt ab accusationibus & reprehensionibus Verbi Dei & pœnarum comminationibus, quàm subditi: omnium hac in re par est conditio.

*Vers. 7. & 8.*

7. Penes te, DOMINE, est iustitia: at penes nos pudor faciei, sicut est hoc die penes virum Iehudæ & incolas Ierosolymorum, & totum Israelēm, propinquos & lóginquos in omnibus regionibus, quò depulisti eos, propter prævaricationem ipsorum, quâ prævaricati sunt in te.

8. Domine penes nos est pudor faciei, penes reges nostros, principes nostros & patres nostros: quia peccavimus [ *Vulgata, qui peccaverunt. Sed verbum Hebræum וְאֵתְּוֹן non est tertia, sed prima persone* ] in te.

Dictum fuit, confesionis Danielis duas esse partes: quarum priore confiteatur suam & totius populi sui injustitiam: posteriore autem Dei iustitiam. Prior pars est explicata: posterior sequitur vers. 7. & sequēt. Ceterum iustitiam Dei confitetur, agnoscendo iustum esse Deum cū generatim in se & omnib⁹ suis operibus, tum speciatim in iudiciis quæ adversus populū suum exercuit. Nam cum ait: *Penes te, DOMINE, est iustitia*; perinde est ac si diceret: Agnosco te iustum esse secundum essentiam tuā, imò iustitiam ipsam: agnosco te in omnibus operibus tuis sanctum & irreprehensibilem reperiri. Deinde cū subjungit: *at penes nos pudor faciei*; agnoscit iusta esse iudicia Dei adversus populum, qui meritò pudore confusus jaceat & ingenuè fateatur, se iustè castigatum. Ierem. 7. v. 19. hic ipse pudor prædictus fuit Iudæis à Deo: *An contra me est, quòd isti irritant? dictum J. hovæ; an non contra ipsos, propter pudorem faciei ipsorum?* Amplificat autem Propheta hanc confesionem iustitiæ Dei, primū testimonio rei præsentis, cū ait: *Sicut est hoc die*: ac si diceret, pœnam ipsam populo inflictam testari abundè, populum fuisse sceleratum, improbum ac rebellem, ac proinde meritò punitum. Deinde amplificat eandem confesionem triplici inductione seu enumeratione subjeكتورum, seu eorum penes quos sit pudor, cū ait: *Penes virum Iehudæ & incolas Ierosolymorum & totum Israelēm.* Hæc prima est enumeratio, quâ complectitur omnes ad Ecclesiam Dei pertinentes tum Iudæos ac in his maximè Ierosolymorum incolas, tum cæteros Israelitas. Atq; sic larvam detrahit hypocritis, quâ se velabant. Nam honorifici erant tituli, vocari Iudæum, vocari civem Ierosolymitanum, vocari Israelitam. Erat enim à Deo electus ille populus: erat Ierosolyma sanctuarij Jhovæ sedes. Ideo licet fuerint aliis omnibus populis prælati in toto mundo & excellentibus ornamentis condecorati; tamen Propheta

pheta fatetur, meritò pudore esse coopertos, Deumq; iustum: inane esse iactantiam de nobili prosapia & ortu à sanctis Patriarchis & de habitatione in terra sancta: hæc omnia nihil coram Deo prodesse: Imò potiùs magis valere ad accusandum populum, quòd cum tantam accepisset à Deo gratiam, cum à reliquis populis omnibus esset segregatus, in terram promissam ductus, cum veram colèdi Dei rationem legibus de cælo allatis accepisset, cum templum Jerosolymis habuisset, cuiusmodi nullum aliud erat in toto mundo, in quo sacrificia oblata accepta Deo essent; tamè hæc omnia pro nihilo habuerit ac tam atrociter peccarit. Alteram inductionem seu enumerationè subjectorum propheta proponit his verbis: *propinquos & longinquos in omnibus regionibus quòd depulisti eos*: ut testetur non esse usquam de numero Iudæorum & Israelitarum quenquam, sive prope sit, sive longè, qui non portet merito iram Dei, qui nõ subierit iure exilium. Proinde causam addit propter quam exilium hoc & captivitas populo contigit, cum addit: *propter prævaricationem ipsorum, quã prævaricati sunt in te*. Tertiam inductionè effert Propheta his verbis: *Domine penes nos est pudor faciei, penes Reges nostros, Principes nostros & Patres nostros*. Nam cum antea videretur de populo duntaxat & ignobili vulgo locutus: jam Regum, Principum & Patrum meminit, tum ne quis gloriaretur se à culpa immunem esse; sicut Reges, & Principes aliiq; Magistratus libenter à cõmuni lege se eximere conantur: tum ut ostenderet, apud Deum nullum fuisse personarũ respectũ, ad Reges, Principes atq; Patres æquè pudorè pertinere, atq; ad subditos ipsorũ. Tertio amplificat Propheta confessionè istam adductã à causã pudoris omniũ: *quia (inquit) peccavimus in te*. q. d. nos pudoris atque ignominie nostrę causam dedimus: tu verò iustus es qui nos castigas.

*Observandum hęc.*

Primò eam confessionem peccatorũ esse veram, quã non tantum fatemur nos peccasse, sed quã etiam laudem iustitiæ Deo tribuimus, & agnoscimus, Deum iustè nos castigare: quemadmodum hoc loco fecit Daniel. Idè fecit David, qui Psal. 51. v. 5. & 6. sic ait: *Nam defectiones meas ego agnosco & peccatum meum obversatur mihi jugiter. Tibi tibi soli peccavi, & quòd malum est in oculis tuis feci: agnosco, ut iustificeris in sermonibus tuis, purus sis quãdo tu iudicas*. h. e. ut manifestum fiat hac confessione mea, quòd iustè ob peccata me reprehenderis per Prophetam tuum, & quòd sanctè iudicia tua adversus me exsequaris. Et Psal. 119. v. 137. *Iustus es Jehova & rectus iudiciis tuis*. Et Psal. eod. v. 75. *Agnosco Jehova, iusta esse iudicia tua, & te in fide afflixisse me*. Hoc facit ad reprehendendos hypocritas, qui queruntur vel cogitant, Deum nimis asperum, nimis durum esse adversus hanc miseram naturam, accusant iudicium Dei, non agnoscunt se iustè plecti. Hic fremitus est ingès & arcanũ malum in animis hominũ. Pertinet hoc ad corrigèdos etiam verè pios & regenitos: nã & illi interdũ sunt impatientes sub cruce, nec possunt se ita subicere iudicio Dei,

ut toto corde agnoscant se justè puniri. Facile est verbis tribuere Deo laudem justitiæ, sed ex corde agnoscere quòd injusti simus, ac contrà Deus in nobis plectendis sit justus, hoc est arduum & difficile. Necessè est autem hanc doctrinam seriò inculcari nobis, ut & injustitiam nostram fateamur, & agnoscamus Deum justum esse & justè nos plectere. Hoc est quod Paulus ex Psal. 51. repetit Rom. 3. v. 4. *Ut justificeris in sermionibus tuis, & vincas quando tu judicas. & v. 26. Ut sit ipse justus.*

Secundò observandum hìc: Eum justitiam Dei rectè confiteri, qui se ipsum simul damnat, quem verè pudet coram Deo peccatorum admissorum. Ubi est pudor ille, ibi ingenua confessio. Multi sunt, qui frontem meretriciam habent, quos nullius peccati pudet, qui sibi placent in suis sceleribus, qui de illis gloriantur. Quid igitur? Cùm manus Dei nos morbo vel alio quovis afflictionis genere premit, ne luctemur cum illa, sed nos potiùs humiliemus: Pudeat nos nostræ injustitiæ, ut Deus in nostro pudore glorificetur.


Tertiò notanda hìc de pudore quædam axiomata.

I. Iustum esse peccati præmium, pudorem. Adamus & Eva ante lapsum non erubescerant Gen. 2. vers. 25. Post lapsum pudore statim obruti fuère, ita ut extimuerint & absconderint se à facie Jehovæ Dei Gen. 3. v. 8. Atque hoc ex jure naturæ manat, virtutis aut benefacti non pudere quenquam, sed vitij malefactorumq;. *Est enim pudor* (ut Aristoteles definit lib. 2. Rhetor. ad Theodosten cap. 6.) *dolor quidam atq; perturbatio ex malis aut præsentibus aut præteritis aut futuris, que infamiam afferant. Cæterùm ex rebus malis omnis nascitur, ut idem docet lib. 4. Ethicor. cap. 9. Necessè est in ijs malis erubescere, quæ vel ipsis, vel ijs quæ sibi curæ sunt, dedecori esse videntur: qualia sunt quæ à vitio proficiuntur;* ait idem lib. 2. Rhetor. ad Theod. cap. 6. Ita Gentiles ex naturæ lege pudoris causam intellexerunt esse vitium. Vis igitur non affici pudore? peccatum fuge, pudoris causam: atq; ora Deum ut det tibi gratiam obediendi Legi ipsius, ne pudore confundaris: sicut David orat Psal. 119. v. 80. *Sit cor meum integrum in statutis tuis, ut ne confundar pudore.* Ideo dicit in eodem Psalmo. v. 6. *Tunc non afficiar pudore, cum respexero ad omnia mandata tua.*

II. axioma: A pudore ob peccatum, immunem esse neminem, sed eo affici omnes quicumq; peccarint, qualescunq; gloriosos titulos prætentant, ubicunq; sint, & cujuscunq; sint ordinis seu dignitatis: sicut Daniel omnibus pudorem tribuit, sibi, Judæis, incolis Jerosolymæ, Israëlitis: propinquis & longinquis: regibus, Principibus & Patribus. Non est igitur, quod quisquam cogitet: ô ego Rex sum, ego Princeps sum, ego ex Patrum seu Senatorum numero sum, ego Comes, ego Baro, ego nobilis, ego patritius, ego dives civis sum: item ego Episcopus sum: vel etiam ego procul absum: me infamia nulla attinget, etiamsi hoc vel illud peccatum admittam. Imò verò pudor & infamia te assequetur, tanquam robustus viator! Obruit pudor Judæos, Jerosolymitanos

tantos cives, Israëlitas ubicunq; terrarū essent; obruit ipsorum Reges, Principes & Patres: tu illum non effugies, quantumvis Christiani nomen præ te feras, quamvis generis nobilitatem, patriæ splendorem, dignitatis vel eminentiæ honorem jactes. Similis locus Jerem. 3. 20. *Jacemus in pudore nostro & operit nos ignominia nostra: quia Jehovah Deo nostro peccavimus nos & patres nostri à pueritia nostra usque in hodiernum diem: neque auscultavimus voci Jehovah Dei nostri.*

Quartò observandum hîc: Fidum Christi servum in accusandis peccatis hominū, nullis debere rebus moveri quantumvis in speciem gloriosis, quin æquali de omnibus *ωὐφρασις* utatur: sicut Daniel non fuit motus honorifico titulo Judæorum, non prærogativa Jerosolymorum, non Israëlitarum nobilitate, non excellentia Regum, Principum, Patrum, sed omnes pariter sub eodem reatu constrinxit.



Vers. 9. 10. & 11.

9. Penes Dominum Deum nostrum [Vulgata Latina habet: Tibi autem Domino Deo nostro; retentâ secundâ personâ: Sed in Hebræo tertia persona usurpatur, sicut frequenter in Psalmis & Prophetarum orationibus personarum fit mutatio per vehementiam affectuum, quibus impulsî Prophetæ fuerunt. Græca consentit cum Hebræo. *ὡς πρὸς τὸν θεὸν ἡμῶν.*] miserationes sunt [Vulgata Latina, misericordia: Sed Hebraum nomen *חַסְדִּים* plurale est & emphasin magnam habet. Græca congruit cum Hebræo: *ἐπιουρανίαι*] & condonationes [Vulgata Latina, & propitiatio. Sed Hebræū *חַסְדִּים* itidem plurale est & emphaticum. Græca respondet Hebræo: *ὡς ἐν ἡμεῖς*] quia rebellavimus [Vulgata Latina, recessimus. Sic Græca, *ἀπέστημεν*. Vide

supra ad v. 5.] contra ipsum. [Vulgata Latina, à te: retenti à ut ante secūda persona. Græca conveniens cum Hebræo in persona repetit nomen; habet enim, *ἀπὸ νοῦς.*]

10. Ac non auscultavimus voci Iehovæ Dei nostri, ut ambulemus in legibus ejus, quas proposuerat coram nobis per servos suos prophetas. [Hebr. ad verbum: in manu servorum suorum prophetarum. Nam Hebræi, Chaldæi & Syri hoc idiotismo utuntur ad significandum, cujus opera & ministerio, quove instrumento quis utatur ad aliquid agendū: idēq; ideo quod manus actionum instrumenta esse soleant. Græca retinet phrasim Hebræam: *ωρεοῦσαί ἐν τοῖς νόμοις αὐτῶ, οἱ ἰδωκὲς κατὰ πρόσωπον ἡμῶν ἐν χερσὶ τῶν δούλων αὐτῶ τῶν προφητῶν.*]

11. Et universus Israel transgressi sunt legem tuam, & recesserunt [Hebr. ad verbum: & recedendo: enallage modorū] ut non auscultarent voci tuæ; Quapropter [Sic enim verti hoc loco conjunctio, debet] effusa est [Vulgata Latina, stillavit: Græca, *ἐπιπέσει*, supervenit, quemadmodum etiam explicat R. Schelomo. Verbum Hebræum *פָּרַשׁ* significat fundere, effundere, stillare] super nos illa execratio & adjuratio [Vulgata Latina, detestatio. Græca vocem Hebræam exprimit, *ἔρεκα*. Nam *הַיְבֹרֶשׁ* significat juramentum, jusjurandum, adjurationem] quæ scripta est in lege Mosis servi Dei: quia peccavimus in eum.

In verbis antecedentibus amplificavit Daniel justitiam Dei à testimonio rei præsentis, à subjeetorum enumeratione triplici, à causa efficiente: deinceps quarto loco amplificat eandem ab adjuncto, cum inquit: *Penes Dominum Deum nostrum sunt miserationes & condonationes.* Ostendit cum justitia Dei conjunctam esse misericordiam: confitetur Deum ita esse justum, ut simul agnoscat etiam misericordem esse: justum, qui non siverit impunitos abire Israëlitas; misericordem, penes quem miserationes & condonationes sint, qui non planè consumserit Israëlitas, sed in ira misericordiæ suæ recordatus & pœnas mitigaverit & peccata condonaverit. Dicit plurali numero, *miserationes & condonationes*: ut declarat multipliciter Deum exercuisse misericordiam suam erga populum & clementissimum extitisse in remittendis peccatis. Cæterum duo quæ accuratissimè notanda sunt, ponit Daniel: Primum est subjektū misericordiæ, hoc est, penes quæ sint miserationes & condonationes: ait, quod sint *penes Dominum Deum nostrum* q. d. quamvis Jehova jure suo uti adversus nos, cum sit Dominus, & nos penitus conterere velut mancipia inutilia potuerit: tamen pepercit nobis, cum sit *Deus noster*, hoc est, cum fedus gratiæ nobiscum & cum majoribus nostris inierit: Nam Deus est Deus noster propter gratuitum illud fedus, quod pepigit nobiscum, in quo promittit, se fore Deum nostrum & seminis nostri post nos. Alterum est, causa, cur penes Dominum Deum nostrum

nostrum sint miserationes & cōdonationes: Causa est; quia rebellavimus in eum. q. d. quia conscij sumus nobis rebellionis nostræ in Deū, ac proinde à nobis nihil nisi perditionem nostram proficisci agnoscimus, salutem ab unica Dei misericordia expectamus: quoniam præfractè restitimus Domino, non alibi residua est nobis spes salutis, quam in Dei misericordia, non autem in ullis nostris meritis, quorum nulla habemus, contrà autem peccatorum abundè. Atque ita repetit Propheta confessionem tum suæ & totius populi injustitiæ, tum justitiæ Dei in puniendis peccatis: ut edomet superbiam cordis & emolliat duritiem, quò se coram Deo seriò humiliet.

*Occurunt igitur in versu nono tres insignes & necessaria Doctrina.*

*Prima est,* Quomodo salutaris fiat peccatorum & justitiæ Dei confessio: nempe, quando accedit consideratio & fiducia misericordiæ Dei. Nam si in peccata nostra solùm & judicia Dei oculos defixos perpetuò haberemus; tristitia redundans nos absorberet & in abyssum desperationis demergeret. Agnoscenda igitur peccata, agnoscenda itidem Dei justitia, sed simul ad misericordiam Dei confugiendum, quasi ad sacrum asylum, ut ne superemur à Satana. Non enim illius machinationes ignoramus, ut Paulus loquitur 2. Cor. 2. v. II. nimirum, ut vel planè securos nos in peccata reddat, vel horrendo aspectu peccatorū atque severi judicij Dei consternatos in desperationem adducat. Hæc duo Satanas artificia sedulò exercet, ut alios securitate laxatis peccatorum frenis, alios desperatione propter peccata & terribilia Dei judicia subvertat. Prioris artificij exemplum est in Absalone: posterioris in Juda Iscariote & Francisco Spira.

*Secunda doctrina est:* Quæ sit causâ misericordiæ Dei: videlicet, bonitas Dei, quâ impulsus fedus gratiæ nobiscum iniit, nostriq; miseretur & peccata condonat. Causa igitur misericordiæ Dei & condonationis peccatorum in Deo est. In nobis autem nihil est, quod eam promereatur: quia rebellavimus in Deum. Proinde mirū est, quòd Papistæ merita sua jactant. Daniel Propheta longè sanctior erat, pluraq; bona opera habebat, quàm quivis Papistarum habet: & tamen de nullis suis meritis gloriatus est, nihil in se vidit, quod iram Dei placaret, sed potiùs seipse damnavit.

*Tertia doctrina est:* de Seria consideratione nostrorum peccatorū. Remedium adversus hypocriticam contritionem est seria cōsideratio nostrorum peccatorum. Nam cū alioqui omnes naturâ ita corruptissimi, ut quantumcunq; peccamus, susque deq; feramus ac nos ipsi libenter absolvamus, tunc etiam regenti huic malo sunt obnoxij, ut leviter de admissis peccatis lugeant. Opus est igitur nobis diuturna ac repetita peccatorū ac judiciorū Dei consideratione, ut bene cor nostrū subigatur ac humilietur.

*Haec doctrina ex versu nono sunt observanda.*

Deinceps pergit propheta in cœpta repetitione Confessionis tum peccatorum, tum iustitię Dei. Peccata autem gravissimis verbis exaggerat & quasi in theatro suam & populi totius infamiam testatam facit publicè. Ait: *Non auscultavimus vocem Jehovah Dei nostri*: q. d. tanta erga nos propensus fuit Deus bonitate, ut quantumvis indignissimi essemus, tamen nobis sit dignatus loqui: at nos tergum illi obvertimus, ac per cõtemptum audire loquentem nolumus. Si pater aliquis filium alloqueretur, & filius fastidio quodam vocis ejus, auscultare renueret, atq; abiret; nonne eiusmodi filius valde peccaret? Si Principe benignè alloquente subditum & mandata ei dante, subditus sermonem Principis fastidiret & cum contentu tergum ei obverteret sineretq; frustra loqui Principem atque ab eo discederet; nonne graviter ab eo peccatum esset? Quàm enormiter itaque nos deliquimus, qui Deum tam blandè nos compellantem, tam paternè de officio nostro instruentem, audire recusavimus. Magnitudinè verò peccati auget consideratio tum causæ efficientis vocis istius tum finis. Causa efficiens dupliciter monstratur: Primo dicit quòd sit vox *Jehovæ*, hoc est, illius qui semper fuit, est & futurus est, qui etiam nobis dedit ut exsisteremus, qui promissa sua re ipsa præstat. Talis Dei voci nolle auscultare, nonne detestabile scelus est? Secundò dicit, quòd sit vox Dei nostri, hoc est, illius qui ex gratia, nullo nostro merito, nobiscum fedus iniit & perpetuam cõstantemq; beatitudinem nobis est pollicitus. Tam benigni Dei vocem non velle audire, nonne crimen est infernalibus pœnis vindicandum? Finis autem vocis *Jehovæ* his verbis indicatur, *ut ambulavimus in legibus ejus, quas proposuerat coram nobis per servos suos prophetas*. Vocis Dei finis est, ut per illam ambulemus in legibus ejus. *Quandiu in hac vita versamur, viatores sumus qui ad metam cõtendimus. Via in qua incedimus sunt leges. Videndum jam cuiq;, in cujus legibus ambulet: Si in Jehovah Dei nostri, est in via quæ ducit ad vitam: Sin in legibus mundi hujus, secundum principem cui potestas est aëris & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus Eph. 2. v. 2 est in via quæ ad exitium ducit. Leges autem Dei sunt doctrina quæ perfectissimè tradit rationem rectè instituendi vitam. Eas Deus proposuit coram nobis seu coram facie nostra: nam apertè, perspicuè, dilucidè, totam justitiæ summam exposuit. Eò gravior est & detestabilior eorum impietas, apud quos tam clara voluntatis Dei patefactio nihil proficit: ac duplici pœna digni sunt, qui volentes peccant, ut qui ignorantiam prætexere non possint, cum ante oculos ipsorum leges suas Deus proposuerit.*

Quòd Propheta addit, *per servos suos Prophetas*: eo tum ministerium Ecclesiasticum commendat, tum Scripturæ Propheticæ testimonium perhibet, eam à Deo esse. Hypocritæ inter Judæos & Israëlitas, negabant

bant se vocem Dei contemnere: at Daniel eos arguit fuisse Jehovę cõ-  
temtores, quia Prophetas audire noluerint. Deus igitur in servis suis  
contemnitur, quamvis non descendat ipse à cælo vel Angelos ad nos  
mittat. Divinitatem verò Scripturæ Propheticæ agnoscimus ex eo,  
quòd leges illas, quos Prophetæ Ecclesiæ tradiderunt, Deum coram  
nobis proposuisse Daniel testetur.

Versu undecimo pergit Propheta exaggerare populi Israëlitici inju-  
sticiam, idq; à toto, similitudine & effecto: A toto, cum ait: *Et universus  
Israel transgressi sunt.* Nam si aliqui solummodo peccassent, videri poter-  
rant cæteri injustè puniti. Ait igitur Daniel, non partem duntaxat po-  
puli, sed totum Israëlem transgressos esse Legem Dei. Similitudo verò  
duplex adhibetur: Prima, cum dicit, Israelitas transgressos esse legem.  
Sic enim significatur viæ in qua nobis ambulandū, Legem Dei esse li-  
mitem, quæ quisquis transgreditur, peccat. Ita Lex Dei comparatur li-  
mitibus seu terminis quos transilire est nefas: peccatum verò trans-  
gressioni limitum seu terminorum. Graviter peccat qui limites agro-  
rum seu viæ ab hominib. positos transgrediuntur: & non peccant gra-  
viter qui limites à Deo positos trās grediuntur? Deut. 27. v. 17. dicitur:  
*Maledictus qui movit terminum proximi sui & dicit totus populus Amen.* Mul-  
tò magis est maledictus, qui movet terminum à Deo sibi fixum. Secū-  
da similitudo his verbis exprimitur: *& recesserunt, ut non auscultarent vos  
ci tue.* q. d. Sicut filius refractarius non vult aurem præbere monitis  
paternis, sed per contemptum à patre ipsum reprehendere & admonere  
incipiente, recedit, ne eū audiat: ita Israelitæ fecerunt, cum Deus ipfos  
alloqueretur per Prophetas, non solum se averterunt, sed etiam abierūt  
ut non audirent vocem ejus.

Ab effecto exaggerat injusticiam populi, cum ostendit quàm graves  
pœnas injusticia illa populo attraxerit: *Quapropter (inquit) effusa est seu  
stillavit super nos illa execratio & adjuratio quæ scripta est in lege Mosis servi  
Dei: quia peccavimus in eum.* Per execrationem & adjurationem intelli-  
git Metonymicòs pœnas quas Deus cum gravi execratione & adjura-  
tione comminatus est Levit. 26. Deuteron. 27. 28. & 29. Pœnarum  
autem inflictionem comparat effusioni aquæ, quæ significatur Deum  
vindictam in populum tanquam imbrem effudisse, ut populus ad res-  
piscentiã flecteretur. Adjungit, quòd illa scripta sit in Lege Mosis servi  
Dei, ac proinde jam olim denunciata. Hæc omnia tendunt ad exagge-  
randam Israëliitarum culpam; quum sciverit, Deum prædixisse pœnas  
deficientibus à Lege, & prædixisse cum solenni execratione & adjura-  
tione ad terrorem cõminationis augendum, nec prædixisse solum ver-  
bis, sed etiam execrationem atque adjurationem illam in Lege Mosis  
servi sui perscribi curasse ut perpetuæ admonitioni serviret; quòd ta-  
men fuerint immorigeri, & non solum præcepta Dei spreverint, sed e-  
tiam comminationes pro nihilo duxerint. Iure igitur experti sunt dila-

vium vindictæ divinæ, quia ex desperata impietate peccarunt. Nominat legem, non Dei sed Mosis servi Dei legem, ut ostendat, nihil habere Israelitas, quod prætendât ad se excusandos: non esse quod dicant, se non audivisse illam maledictionem adjurationemq; ex Dei ipsius ore, quia Deus servum suum Mosen adhibuerit, cujus verbis auscultare debuerint, non aliter ac Dei ipsius verbis è cælo pronunciatis.

*Tenemus consilium Propheta: usum jam videamus.*

Observandæ hæc sunt tres doctrinæ.

*Prima est,* Quæ nam res peccata graviora faciant & pœnas exasperent? nempe multitudo peccantium, averfatio vocis divinæ, levis æstimatio minarum denunciatarum. Si totus populus peccato unius hominis, tanquam membri ad universitatem pertinentis, reus efficitur cõtatione peccati, ut exemplum Achanis & populi Israelitici testatur: multo magis reatu constringetur, si totus peccet. Averfatio autem vocis divinæ est certum præfracti animi testimonium: nam detestabilis redditur scelus, cum quis, Deo quasi manum porrigente, viam salutis monstrante & fideliter docente quid sit fructuosum, planè est intractabilis. Sed cum accedit minarum subsannatio, quasi Deus ludere putaretur, aut quasi lex Dei esset merum figmentum, aut quasi Deus exsequi non posset, quod minaretur, desperata esse improbitas intelligitur.

*Secunda doctrina est,* quòd externum ministerium Ecclesiæ, cõmendatissimum esset debeat: tum quia Lex quam ministri populo proponunt, vox Dei est, ac proinde qui voci ministrorum fidelium non auscultant, voci Dei non auscultant: tum quia Deo ita placet per servos suos nobiscum agere, ut olim per Mosen cum populo Israelitico, ac proinde voluntatem ejus nos quoque probare debemus.

*Tertia doctrina est de gravitate comminationum divinarum.* Comminationes divinæ meritò nobis terrorem incutere debent, quandoquidem Deus maledictionem & adjurationem ipsis vehementem adjunxit, ut patet ex Deuter. 27. 28. & 29.

*Vers. 12. 13. & 14.*

12. Et præstitit unumquodq; verborum suorum [ *Hebr. אָדָּרְבָּרָא* scribitur cum jod, signo pluralis numeri, sed legitur sine jod. Caterum, illud non frustra est insertum, sed monet, non esse simpliciter exponendum, verbum suum, sed, unumquodq; verborum suorum. Vulgata Latina habet: statuit sermones suos expresso plurali numero. ] quæ locutus fuerat contra nos, & contra judices nostros [ *Vulgata Latina, principes nostros. Sed nomen Hebraicum שֹׁפְטֵי, judicem significat* ] qui judicarunt nos, inducendo super nos malum magnum, quale non est factum sub toto cælo, quemadmodum factum est Ierosolymis.

13. Quem-

13. Quemadmodum scriptum est in lege Moſis : totum hoc malum ſuper venit nobis ; & non ſumus deprecari faciem iratam Iehovæ Dei noſtri [ *Vulgata Latina retinet ſecundam perſonam, non rogavimus faciem tuam Domine Deus noſter* ] revertendo ab iniquitatibus noſtris & animum advertendo ad veritatem tuam.

14. Ideo vigilavit Iehova ſuper malum [ *Vulgata Latina, ſuper malitiam. Melius eſt, ſuper malum : quia intelligit afflictionem ut verſu 12.* ] & induxit illud ſuper nos : Quoniam juſtus eſt Iehova Deus noſter in omnibus operibus ſuis quæ fecit, cùm non auſcultaverimus voci ipſius.

Nuper dictum fuit, injuſtitia ſeu peccati effectum fuiſſe pœnas : de illis per amplificationem quandam Propheta verſu 12. dicit tria : *primum* quod fuerint prædictæ : *ſecundum*, quod Deus illas effecerit : *tertium*, quod ſint longè graviſſimæ. Quod pœnæ illæ fuerunt prædictæ, auget improbitatem populi, qui ſciens illas prædictiones, tamen nihil curavit, dum modò cupiditatibus ſuis ſatisfaceret. Meritò igitur magno cum ſuo malo dicit, minas Dei non eſſe vana terculamenta. Cæterùm ad pondus comminationum divinarum facit conſideratio ſubjectorum, *hoc eſt*, eorum contra quos illæ fuerunt promulgatæ : *Quæ* (inquit) *locutus fuerat contra nos & contra iudices noſtros, qui judicarunt nos.* Comminationes igitur illæ non ad ſubditos ſolùm pertinuerunt, ſed etiam ad Magiſtratus qui hoc loco iudices appellantur, qui judicarunt, *hoc eſt*, gubernarunt populum : *judicare* enim in Hebræica lingua ſignificat inter alia etiam gubernare, & regere ſubditos ; per Synecdochen, ex una parte officij Magiſtratus, totum officium intelligitur. Ita indicat Daniel, neminem eſſe excuſabilem ſive ex ſubditis, ſive ex Gubernatoribus, quia utriſq; ſi peccarent, pœnas Deus denunciavit. Deinde dicit Daniel, quod pœnas illas Deus effecerit : *Preſtitit* (inquit) *unumquodq; verborum ſuorum, quæ locutus fuerat.* Agnoſcit igitur, Deum eſſe & potentem & veracem, qui poſſit pœnas peccatoribus à ſe denunciatas infligere, & palàm demonſtrare ipſo effectū verborum ſuorum veritatem. Tertiò dicit de pœnis, quod ſint longè graviſſimæ. Utitur enim Comparatione minorum cùm ait, *malum* quod Deus ſuper ipſos induxerit eſſe *magnum, quale non eſt factum ſub toto celo, quemadmodum factum eſt Jeruſolyms.* q. d. malum quod ſuper nos Iehova induxit tantum eſt, ut nullum ſub cælo unquam fuerit majus, ſed omnia infortunia, quæcunq; uſquã ulli genti evenerunt, cum noſtris infortuniis comparata, ſint longè minora. Hac exaggeratione pœnarum quæ Iſraelitico populo fuerunt impoſitæ, confitetur magnitudinem peccatorum à populo cõmiſſorum. Quoniam Deus indicavit verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & jura ſua Iſraeli : Nec fecerat ita ulli nationi, & jura ſua gentibus non manifeſtarat, ut dicitur Pſal. 147. v. 19. & 20. graviora fuerunt peccata populi Iſraelitici,

transgredientis statuta & jura sibi tradita præ cæteris gentibus. Non igitur ex ignoratione voluntatis Dei populus peccavit, sed ex mera malitia cum detestabili ingratitude conjuncta. Proinde merito graviores luit pœnas, quàm aliæ gentes, voluntatis Dei ignaræ.

Est igitur hîc duplex insignis locus, alter de pœnis peccati: alter de comminationibus divinis. De pœnis tria ex istis Prophetæ verbis observanda. Primum est, illas in cõinationibus divinis esse denunciatas. Quapropter quâdo aliquid nobis mali accidit, agnoscenda est Dei veritas & potentia in impletione comminationum. Veritas & potentia Dei in pœnis relucet: Nam cùm Deus punit, factò ipso probat, se vera loqui, ac non temerè minari in sua Lege, nec joculari sicut interdû homines ludicris minis pueros terrere solent: Cùm punit, reipsa ostendit se posse minas suas exsequi, ut tantò magis timeatur. Ergo in pœnis quas Deus sumit de nostris vel aliorû sceleribus, perspicimus Dei veritatem & potentiam: ut ipsum discamus magis revereri.

Secundò observandum, Deum esse qui pœnas ob peccatum infligit. Quoties igitur damno vel clade vel injuriâ aliquâ affecti sumus, animû ab hominibus ad Deum convertere debemus, & non conqueri de illis à quibus læsi sumus, sed agnoscere Dei manum, justè nos castigantis, vel paternè probantis, vel per nostras afflictiones glorificari volentis.

Tertiò observandum, pœnas majores & graviores imponi illis, quibus cognita est Dei voluntas, quàm aliis nullam vel non tantam voluntatis divinæ cognitionem habentibus. Propterea horribiliùs fuerunt Israëlitiæ & ludæi puniti, quàm aliæ gêtes: ut testatur hoc loco Daniel: ut etiam confirmat tum historia de captivitate Babylonica & de ultima Jerosolymorum destructione; tum etiamnum hodie præsens tristissima calamitas & miseria Judæorû, quos Deus ante oculos nostros constituit, ut in ipsorum exemplo tanquam in speculo veritatem cõinationem divinarum, potentiam Dei in exsequendis minis, & peccati acerbissimos fructus intueamur, atque alieno malo sapere discamus. Quocirca mirari etiam non debemus, si hodie Christiani graviùs affligantur à Turcis, quàm aliarum religionum populi, ut Ægyptij, Tartari & alij: quia major est impietas, detestabilior ingratitude, durior pervicacia Christianorum, quàm gentium profanarum & Christi ignararû. Quò majorem lucem Verbi Dei habemus, eò gravius fit crimen nostrum, nisi nos vicissim gratos & obsequentes præbeamus. Non possum facere, quin hoc dicam quod me continuè vehementer angit. Videntur istis regionibus & urbibus, in quibus jam ultra septuaginta annos reformata atque orthodoxa religio fuit, longè graviores pœnæ impendere, quàm aliæ nationes & urbes idololatricæ vel aliàs seductæ, unquam sunt expertæ. Nam cùm major lux veritatis apud nos fulgeat, quàm apud Italos, Hispanos, Saxones, Misnenses & alios; horribilis tamen plerorumq; ingratitude est adversus Deum, paucissimi agnoscunt magnitu-

magnitudinem beneficij revelatæ nobis veritatis Euangelij Jesu Christi: regnat ebriositas, dominantur libidines, scortationes, adulteria: crescit usurariorum & Dardanariorum iniquitas: nomen Dei propter nos blasphematur apud Papistas, Anabaptistas, Turcas & Tartaros. Quapropter non erit aliquando mirandum, si Deus in nos multò erit asperior, quàm in alios fuit.

*Hactenus de primo loco, nimirum de pœnis peccati.*

Alter locus est de comminationibus divinis, de quibus sunt duo ex verbis Prophetæ observanda. Primum est, quòd sint firmæ & certissimæ, quòd Deus illas certò impleat: sicut præstitit unumquodq; suorum verborum quæ locutus fuerat contra Israëlitas.

Secundò observandum, quòd comminationes divinæ tum subditos attingant, tum judices, Principes, Reges, Magistratus denique omnes. Quapropter quod ad subditos attinet, non possunt se excusare coram Deo, cum vel impiis edictis Magistratum obsequuntur vel mala ipsorum exempla sequuntur: scire enim debent, ad se etiam comminationes divinas pertinere; proinde si peccent, non eximi à culpa vel pœna quia non valebit subterfugium quòd Magistratui obedierint, quòd putarint se rectè agere, si ejus essent religionis, cujus Magistratus ipse esset, vel si ea facerent, quæ Magistratus faceret ipse: Quod verò ad Magistratus, Deus suis comminationibus ipsos quoque in ordinem cogit, ne quis mortalium suo splendore obscuret auctoritatem divinæ Legis. Scimus enim ut Reges, Principes & Magistratus omnes putent se clypeum habere ad scelerum suorum defensionem adversus ministrorum Verbi admonitiones, reprehensiones & pœnarum denunciationes. Atqui comminationes divinæ, quas ministri Verbi proferunt, æquè Governatores constringunt, atque subditos.

Verf. 13. duo sunt membra. In primo repetit Prophetæ, quod de pœnis nuper dictum est: nempe, *Quemadmodum scriptum est in Lege Moysis, totum hoc malum supervenit nobis.* Habet autem hæc repetitio magnam emphasisin & epiphonema ex vehementi cordis dolore profectum. q. d. Sentimus profectò, nò abs re fuisse denūciatas pœnas in Lege Moysis: Sentimus, hoc uno Deum satis probasse se justum esse vindicem scelerum, quia tot antè seculis pronuciaverat, quicquid postea reipsa complevit. In altero membro ponit ultimam exaggerationem injustitiæ populi, ab adjuncta obstinatione: nimirum, quòd *etsi quemadmodum scriptum est in Lege Moysis, totum hoc malum ipsis supervenerit: tamen non sint deprecati faciem iratam Jehovæ Dei sui, revertendo ab iniquitatibus suis & animum advertendo ad veritatem Dei.* q. d. Hoc est omnium malorum gravissimū, quòd cum mortiferis morbis oppressi fuerimus, non modò medicinam omnem aspernati simus & respuerimus; verum etiam curatione ipsa malum nostrum quotidie gravius sit factum. Cum beneficiis ad officium

allici nequivissemus, dedit Deus operam, ut nos plagis à flagitio deterret. At nos non modò plagis deterriti non sumus, verùm etiã ad pristinum scelus magnum impietatis cumulum addidimus. Facti sumus adeò in pravitate sceleris obfirmati, ut malis in Lege Mosis denunciatis obruti, sceleribus nostris incredibilem accessiõnem in dies singulos attulerimus. Tanta fuit nostri cordis durities & contumacia, ut quemadmodum antea ininis in officio cõtineri non potuimus, ita nec postea tam severis Dei judiciis ad officium nos reduci siverimus. Frustra aures nostras circumsonarant minæ cælestes: frustra deinceps flagellis Dei cæsi sumus, sed quamvis gravissimè ferulis divinis percussi fuerimus: tamen non deprecati sumus iram Jehovæ, nec respuimus à sceleribus nostris, nec ad veritatem minarum promissionumque Dei animum advertimus. Tam deplorati fuimus in nostra malitia.

*Tenemus sensum Prophetæ: nunc videamus usum.*

Duo hîc sunt notandi loci. Primus de afflictionibus: alter de precibus. De afflictionibus tria ex verbis Prophetæ sunt observanda: Primum est, Nullum malum nobis supervenire fortuitò, sed quemadmodum scriptum est in Lege Mosis. Ergo quotiescunq; afflictionibus propter peccata preminur, agnoscamus veracem esse Deum, qui bonâ fide minas suas exsequatur: dicamus cum Daniele, Quemadmodum scriptum est in lege Mosis, totum hoc malum supervenit nobis.

Secundò observãdum, afflictionibus quosdam non reddi meliores, sed deteriores, sed obstinatioris; ut exemplum testatur Israëlitarum: de quibus etiã Ies. i. v. 5. sic Deus conqueritur: *Quamobrem quo percutimini amplius, augetis apostasiam?* Hoc servit nostræ admonitioni, ut ne obstinati simus, sicut Israëlità fuerunt, sed ut castigationibus nos sinamus ad bonam frugem revocari.

Tertiò observandum, afflictionum à Deo nobis immissarum fines & usus esse, ut illis eruditi iratâ Dei faciem deprececur, ab iniquitatibus nostris revertamur & resipiscamus, deniq; ad veritatem minarum promissionumq; divinarum animum advertamus. Hos usus afflictionum complectitur Paulus 1. Cor. ii. v. 32. ubi ait: *Cùm judicamur, à Domino erudimur, ne cû hoc mundo condemnemur.* Ita afflictiones sunt piis salutaris medicina & curatio animarum. Cæterùm tres istos afflictionum fines cõjunctos esse oportet, ac nequaquam separari. Nam possunt hypocritæ signis iræ Dei & calamitatibus adaecti, suppliciter à Deo veniam petere: sed quia à peccatis non resipiscunt, nec ad veritatem Dei animum advertunt; mera est in precibus ipsorum vanitas, merum ludibrium Dei: quocirca Deo acceptæ non sunt. Secundus igitur locus hîc observandus est de precibus: nempe quænam sit regula piè & ritè orandi, maximè cùm manus Dei nos premit, nempe ut illæ proficiantur ex vera resipiscentiã à peccatis & attentione ad veritatem promissionum & com.

& comminationum divinarum. Hæc duo si desint, frustra preces concipiuntur.

Versu 14. duo itidem Propheta agit: concludit exaggerationem injustitiæ populi, & repetit confessionem justitiæ Dei. Exaggerationem injustitiæ populi concludit indicatione effecti obstinationis: effectum illud fuit aggravatio & prolongatio pœnarum. *Ideo* (inquit Daniel) *Vigilavit Jehova ad malum illud & induxit illud super nos.* Vigilat Jehova ad malum seu ad pœnas, cum sedulo incumbit ad castigandum contumaces, qui obstinatè ruunt in scelera. Metaphora ducta est à custodibus, qui agunt nocturnas & diurnas excubias: itaq; hac phrasi non festinatio, sed continua sedulitas significatur. Psal. 78. v. 65. dicitur: *Deinde evigilavit Dominus, qui visus fuerat tanquam dormiens: sicut robustus, cantillans ex vino.* Sed hoc alio sensu dicitur: Nam cum Pelischthæi Deum desiderare & ab omni opere vacare cogitarent, quasi vel dormiret & se ex antea laborare recrearet; vel si vigil esset, vino obrueretur & in præsentia sui non esset còpos; sic idololatræ res ridiculas Deo affingebat: ideo cum post alicujus temporis cessationem quæ cum dormitione comparatur, hostes suos aggressus esset, quasi è somno evigilare visus est. Hoc autem loco per vigiliæ Dei ad malum, continua severitas in ulciscendis peccatis notatur. Cum addit, *& induxit illud super nos,* agnoscit clarè, Deum fuisse autorem calamitatum, ut ita populum castigaret.

Absoluta repetitione confessionis injustitiæ populi; adjungit repetitionem confessionis justitiæ Dei: his verbis: *Quoniam justus est Jehova Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit, cum non auscultaverimus voci ipsius.* Hæc repetitio non est supervacanea, sed eâ Daniel primò ostendit, non posse satis prædicari justitiam Dei, etsi tot ac tantis calamitatibus Israelitas affligeret, quia provocarint Dei vindictam non auscultando voci ipsius. Deinde occurrit tentationi quâ fideles haud dubiè còcutiebantur. Nam cum essent electus Dei populus, & tamen miserrimi contentissimiq;: poterant cogitare, vel Deum esse fallacem, vel fedus Dei prorsus esse sublatum: ergo ut huic tentationi obviaretur, res vocavit Propheta fideles ad immutabilè justitiâ Dei, peccatis irritatâ.

*Intelligimus consilium Propheta: nunc videamus usum.*

Duo hîc considerandi sunt loci: primus de pœnis peccati: alter de justitia Dei. De pœnis peccati duo sunt ex his Prophetae verbis observanda:

Primum est, Obstinationem hominû in malitia, quæ nec beneficiis Dei nec paternis castigationibus expugnari potest, efficere ut Deus vigilet ad malum nostrum, hoc est, graviores & diuturniores pœnas mereri. Tanta est enim multorum durities cordis, ut nisi longi temporis calamitatibus frangi nequeat. Non est itaq; quod miremur, nos interdum diu morbo vel aliquo alio afflictionis genere exerceri: quia cor nostrum antiquam duritiem obtinet. Quò inaturlus igitur cor emol-

litum habuerimus, eò citiùs liberationem à malis consequemur.

Secundò observandum est de pœnis, illarum autorem esse Deum, qui illas super nos inducit. Unde colligimus justas esse, nihil enim iniusti à Deo procedit: & nulla mala nobis fortuito obvenire, sed ex providentia Dei.

*Hæc de primo loco.*

Secundus locus est de justitia Dei, de qua duo hîc observanda. Primum est, justitiam Dei in omnibus omnino operibus ipsius elucere: ac proinde eum non tyrannicè gubernare mundum, aut crudeliter illudere hominibus, sed æquissima ratione omnia administrare, etiam si interdum causas calamitatum assequi nequeamus. Deus enim qui iudex mundi est, nemini facit injuriam.

Secundò observandum, justitiam Dei esse agnoscendam atque prædicandam ab iis qui in afflictionibus versantur, cùm non auscultaverint voci ejus: Absit hoc ut nos ipsos excusemus tanquam insontes, & Deum accusemus tanquam injustū: Sed penitens animo infixam hanc confessionem habeamus: Justus est Jehova Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit: at nos sumus injusti, cùm voci ipsius non auscultaverimus.

*Vers. 15. 16. 17. 18. & 19.*

15. Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuū è terra Ægypti manu forti, & parasti tibi nomen quale est hoc die [Vulgata Latina, secundum diem hanc. Atqui hoc loco non est prepositio, sed adverbium declarationis] peccavimus, improbè egimus.

16. Domine secundum totam justitiam tuam summam [Hebr. ad verbum, secundum omnes justitias tuas. Hebraei de re una singulari loquentes, numero plurali utuntur, ad denotandam summam excellentiam & perfectionem rei illius de qua loquuntur. Sic Proverb. 1. p. 20. חֲכִימוֹת בַּחוּץ תִּרְנְנוּ Sapiaentia foris recantant, hoc est, summa sapientia foris recantat. Sic Proverb. 9. vers. 1. בִּנְיָהוּ חֲכִימוֹת בֵּיתָהּ Sapiaentia, pro summa sapientia edificavit domum. Vulgata, in omnem justitiam tuam. At in Hebraeo non est בְּכָל sed בְּכָל. Græca longius recessit ab Hebraeo: habet enim, ἐν παντί ἡ ἐλεησέως σου. hoc est, in omnibus misericordia tua est] avertatur obsecro irarua & exandescencia tua à civitate tua Ierofolymis, monte sanctitatis tuæ: nam propter peccata nostra & propter iniquitates patrum nostrorum, Ierofolyma & populus tuus opprobrio sunt omnibus qui circum nos sunt [Hebr. ad verbum, omnibus circuitibus nostris, hoc est, iis qui sunt in circuitu nostro. Vulgata Latina sat commodè habet, omnibus per circuitum nostrum.]

17. Et nunc audi Deus noster orationem servi tui & supplices preces

preces illius, & fac ut luceat facies tua [ *Vulgata Latina, ostende faciem tuam: non expressa significatione verbi Hebræi יָרָא* ] super sanctuarium tuum, desolatum: [ *דָּשַׁן* est *Tóar* loco participij; non prateritum] propter DOMINUM. [ *Vulgata Latina, propter temetipsum: & Græca, ἕνεκεν σου. At qui in Hebræo non est affixum seu pronomem illud secunda persona, sed positum est expresse nomē יְהוָה, quo Messias ille promissus hoc loco denotatur. Sic Vulgata versio corrūpit pulcherrimum istum locū de Christo.* ]

18. Inclina, Deus mi, aurem tuam & audi; aperi oculos tuos & vide desolationes nostras [ *Vulgata Latina, habet singulari numero, desolationem nostram. Sed in numero plurali est Emphasis. Græca, τῶν ἀφαισιῶν ἡμῶν. Sed vox Hebræa נִדְּשַׁן non exprimitur Græcā ἀφαισιῶν, qua significat ablationem è conspectu, vel obscurationem ] & civitatis, super quam vocatum est nomen tuum: non enim propter ullam justiciam nostram [ *Hebr. ad verbum, propter justitias nostras. Vulgata Latina, in justificationibus nostris.* ] nos prosternimus preces nostras supplices coram te, sed propter miserationes tuas amplissimas.*

19. Domine exaudi, Domine condona [ *Vulgata Latina, placare.* ] Domine attende & effice, ne tardato: propter te, Deus mi, quia nomen tuum vocatum est super civitatem tuam & super populum tuum.

#### *Analysis.*

Haecenus explicata est prima pars Orationis Danielis, nimirū Confessio tum injustitiæ populi Israelitici, tum justitiæ Dei: sequitur jam altera pars, videlicet *Petitio*, in qua sunt duo perpendenda: unum, quid Daniel petiverit: alterum, quibus argumentis. Duo autem petivit, primum ut Deus averteret iram & excandescentiam suam à civitate Jerosolymis: alterū ut paternum favorem suum declararet erga sanctuariū, civitatem & populum. Per *aversionem iræ & excandescentiæ* à civitate Jerosolymis, intelligit cessationem malorum illorum gravissimorū quæ Deus ex justissima ira atque excandescencia toti populo & terræ Israelitarum immiserat, ad peccata illorum ulciscēda. *Ira Dei & excandescencia* non est ægritudo animi seu turbulētus affectus qualis in Deum, qui simpliciter est *anadur*, neququam cadit; sed consuetudine Scripturarū sic vocatur tum justissima voluntas Dei atq; decretum puniendi peccata, tum comminatio pœnarum, tum pœnæ ipsæ peccatorum. Postremo significato usurpatur hoc in loco, quemadmodum Mich. 7. v. 9. *Iram J. h. v. e portabo, quia peccavi ei.* Et Apocal. 15. v. 7. *Unum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis phialas aureas, plenas iræ Dei viventis in secula seculorū.* Avertere igitur iram atque excandescentiam suam dicitur Deus, cum finem facit puniendi. Cæterum, cum petivit Propheta averti iram atque excandescēntiam Dei à civitate Jerosolymorū, non tantum urbem

illam in Palæstina sitam intellexit, sed etiam in spiritu spectavit Ecclesiã novi testamenti quę per civitatem illam fuit figurata, cui liberationem à malo exoptavit. Prophetę enim de sancta urbe loquentes, ad Ecclesiã novi testamenti spiritu respexerunt. Hinc colligimus, quid nos a fiducia à Deo petere debeamus, nempe ut ira atque excandescencia ejus ab Ecclesia ejus avertatur. Atque hęc consideretur quibus malis hoc tempore Ecclesia Dei affligatur. Certa sunt enim irę & excandescencia Dei in nos documenta nascentes hæreses varię, schismata tristia, disciplina Ecclesiasticę contemptus & extinctio, persecutiones ab hostibus multis internis & externis, probra quę perferimus à vicinis nostris &c. Porro petitionis hujus primę argumenta adhibet Propheta novem: ex quibus observandum, quibus rebus fiducia nostra de certitudine exauditionis precum nostrarum possit confirmari.

*Primum est*, ab adjuncto Jehovę, quia Jehova sit *Dominus*: hoc ponit initio vers. 15. cum ait: *Et nunc Domine*, q. d. Tu habes absolutum jus atque imperium in omnes & in omnia. Tu igitur finem impone malis quę ad hoc usque tempus perpessi sumus. O Jehova, ostende quod sis Dominus, qui potestatem habeas omnia, quęcunq; vis, faciendi. Cum igitur Deum invocamus, aliat fidem nostram de certa exauditione precum hæc consideratio, quod is quem invocamus sit Dominus. Qui enim intelligit & verè persuasus est, Deũ à quo necessaria sibi petit, esse Dominum, qui jus habet in omnes & in omnia, quiq; possit postulata præbitare: is haud dubiè non dubitabit, sibi verè condonari peccata, & alia bona datum iri, quę expetit.

*Secundum argumnetum est* itidem ab adjuncto Jehovę, quia Jehova sit *Deus noster*. Sententia est: Tu cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo fedus gratiosum iniisti, te velle ipsorum & seminis ipsorum Deum esse: hoc federe freti te cum fiducia compellamus. *Recordare Abrahami, Isaaci & Israelis servorum tuorum, te jurasse eis per te, & promisisse eis, multiplicabo semen vestrum tanquam stellas celi: & totam hanc terram, quam promisi, dabo semini vestro ut possideant in seculum*: sicut Moses precatur Exod. 32. v. 13. *Ista consideratio* gratuiti federis inter Deum & nos est efficacissima ad mentes nostras certiores faciendas, preces nostras exauditum iri. Quis enim dubitet de benevolentia erga se illius, qui cum indignissimis nobis fedus pepigit? qui se Deum nostrũ fore promisit? qui nos sui & omnium suorum bonorum sapientię, bonitatis, justitię & potentię participes facit? Beata gens illa, cujus Jehova Deus est: populus quem elegit in possessionem sibi Psal. 33. v. 12. *Beatus ille populus, cujus Jehova est Deus*, Psal. 144. v. 15. Quorum Deus est Jehova, ij nulla felicitatis parte destituuntur: quorum fides federi gratię innitur, illi verè cum precantur, possunt dicere: *Domine Deus noster*. Illi verè gloriari possunt: *Hic est Jehova Deus noster, in tota terra judicia ejus sunt*. *Recordatur in seculum federis sui: Verbi quod præcepit, in mille generationes, quod pepigit cum Abrahamo*

*Abrahamo, & juremanti sui præstiti Isaac. Quod præstitit Jacobo in statutum  
Israëli in fedus perpetuum.*

Tertium argumentum est ab effectu Jehovahæ, quia eduxerit populum suum è terra Ægypti manu robusta. q. d. Tu olim populum tuum è terra Ægypti potenssimè eduxisti eumque à tristissima servitute in libertatem asseruisti: Confidimus igitur, te etiam hoc tempore curam populi tui habiturum eumque à calamitate ista gravissima liberaturum. Allegat Propheta, populi Israelitici ex Ægypto educationem; nam illa fuit pignus certissimum gratiæ Dei erga populum, & curæ paternæ de illo in perpetuum futuræ. Hunc istius beneficii finem atque usum Deus ipse populo commendavit Levit 22. vers. 33. ubi ait: *Qui deduco vos è terra Ægypti, ut sim vobis Deus*, hoc est, ut vobis benefaciam, ut vos bonis omnibus cumulem; ut curam vestri geram, ut vos in perpetuum protegam. Hinc Psal. 81. vers. 11. cum vult confirmare suam in populum beneficentiam in posterum etiam perseveraturam, hoc idem beneficium educationis ex Ægypto pro argumento fiduciæ allegat & ait: *Ego sum Jehovah Deus tuus, qui feci ut ascenderes è terra Ægypti; dilata os tuum & impleturus sum illud.* Huc facit insignis locus Jesa. 63. vers. 10. & sequentibus. Quemadmodum autem Deus istius beneficii cõmemoratione populum suum ad fiduciam in futurum erigere est solitus: ita vicissim fideles, cum anxietate aliqua ingenti premebantur, ac si de ipsis actum foret, hoc beneficium, coram Deo commemorabant; ut eo flecteretur ad deponendum iram & ipsorum fides in Deum confirmaretur. Quemadmodum *Moses deprecatus est faciem iratam Jehovahæ Dei sui; & dixit: Quare Jehovah accenderetur ira tua in populum tuum, quem eduxisti è terra Ægypti, virtute magna & manu forti?* Exod. 32. v. 11. Sic Nehemias cap. 1. v. 10. *At hi sunt servi tui & populus tuus, quem redemisti virtute tua maxima & manu tua validissima.* Similiter Israelitæ reduces cap. 9. lib. Nehemiæ. Sic Psal. 77. vers. 8. & sequentibus. *An in secula repelleret Dominus? aut non pergeret bene velle amplius? An deficeret in æternū benignitas ejus? desineret sermo in quamq̃ generationem? An oblitus esset gratiam facere Deus fortis? an occluderet irā miseraciones suas planè? Tandem dico, infirmare me istud, mutat à dextera excelsi? Imò recordabor actionum lab: quin recordabor inde ab antiquitate quodq̃ mirabilium tuorum: Et meditabor de unoquoq̃ opere tuo, de actionibus tuis loquar. O Deus in sanctitate via tua est: quis Deus magnus est ut Deus? Tu è Deus fortis mirifice: ostendisti in populis robur tuum. Vindicasti brachio populum tuum; posteros Jacobi, etiam Josephum maximè, &c.*

Quemadmodū igitur Danielis & aliorum fidelium confirmata fuit in Deum fiducia, recordatione redemptionis populi Israelitici ab Ægyptiaca servitute per Moysen: ita & nos ex acceptis à Deo beneficiis spem bonam in futurum concipere debemus. Omnium verò excellentissimum est beneficiū redemptionis nostræ ex potestate Satanæ per Christum, cujus typus fuit corporalis illa redemptio Israelitarum. Quoties

itaq; angustiis urgemur, & à Deo liberationem petimus, recordari debemus redemptionis nostræ per Christum factæ, ut ejus meditatione confirmemur de Dei in posterum erga nos benignitate, & salute æterna. *Commendat enim suam erga nos charitatem Deus, eo quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit: Iustificati igitur nunc ejus sanguine, servabimur multò magis pœa eum ab ira illa. Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius, ut Paulus ait Rom 5. v. 8. 9. 10. Quemadmodum ergo beneficium liberationis populi Israelitici ex durissima Pharaonica servitute, gratiæ divinæ erat documentum, quod debebat valere ad fulciendam omnium piorum Israelitarum fidem: ita beneficium liberationis nostri ex Diaboli regno per Christum, perpetuum nobis est gratiæ Dei testimoniù, quod nos de liberatione ab omnibus malis & de vita æterna securos certosq; reddere potest. Est igitur hîc insignis locus de beneficiorum Dei jam acceptorum fine & usu: de quæ salutari ipsorum meditatione: Huc valere debent beneficia antè à Deo nobis tributa, ut eorum recordatione & consideratione animi nostri ad fiduciam in Deum erigatur, ipsum nimirum in posterum quoq; nobis benefacturum.*

Videamus jam *quartum* argumentum petitionis Danielis, quod ducit itidem ab effectu Dei: nempe quòd *paraverit sibi nomen quale est hodie*. Sensus est: Servasti nos propter nomen tuum, ut notam faceres potentiam tuam Psal. 106. v. 8. Averte igitur à nobis furorem tuum, ne extinguatur gloria tua, quæ vigere debet dum mundus stabit, dum homines eruant. Si perpetuo manebimus oppressi servitute, actum erit de gloria, quæ tibi acquisivisti opere illo potentissimo liberationis nostræ ex Ægypto: Dicerent gentes: Quorsum eduxit Jehova populum suum ex Ægypto, cum irâ atque excandescentiâ suâ eum opprimat? Hoc eodem argumento usus est Moses cum deprecaretur iram Dei adversus Israelitas, qui vitulum sibi Dei loco conflaverant. Sic enim ait Exod. 32. v. 12. *Quare loquentur Ægyptij, dicendo: Malo animo eduxit eos, ut occideret eos in istis montibus, & consumeret eos è superficie terræ? converte te ne accendatur ira tua, & pœniteat te istius mali, quod proposuisti contra populum tuum. q. d. Gloriam tuam hostes obscurarent & nomen tuum blasphemarent. Eodem argumento usi sunt Israelitæ reduces Nehem. 9. v. 10. Edidisti signa & prodigia contra Pharaonem & contra omnes servos ejus, & contra totum populum terræ ejus, noveras enim hos superbivisse in illos: & comparasti tibi nomen sicut est hodie. Sic petivit Ecclesia servari à Deo propter gloriam ipsius, Psal. 115. v. 1. Non nobis Jehova, non nobis; sed nomini tuo da gloriam, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.*

Hinc perspicimus, gloriæ Dei considerationem maximum afferre momentum ad Deum cum fiducia invocandum. Quisquis enim persuasum habet, id quod petit ad gloriam Dei pertinere; confidenter petet: quia Deus est gloriæ suæ amans. Quoties ergo precamur, propo-  
lita

sita sit nobis perpetuò Dei gloria, tanquam finis supremus, ad quem referamus, quicquid postulamus. Si in gloriam Dei solummodo & serio intenti erimus, excitabit ea in nobis vehementem in precando zelum. Verùm purum esse oportet atque sincerum: ne gloria Dei sit duntaxat prætextus cupiditatũ nostrarũ. Improbo enim dicit Deus: quid tibi cũ gloria mea? Ego glorificabor, etiamsi tu pudore obrutus maneat, etiãsi pereas. Improbo dicit Deus: *Quid tuã ut enarres decreta mea, & assumas fœdus meum in ore tuo: Cũ tu oderis disciplinam; & projeceris verba mea post te? Simul ac vides furem, acquiescis ei; & cum adulteris est portio tua: Os tuum adhibes ad malum, & linguã tuã concinnas dolum: Sedens fratri tuo obloqueris: in filium matris tuã edis infamiam. Hęc te faciente quia agebam surdum, cogitas me prorsus esse similem tui: arguo te & dissero in oculis tuis. Animadvertite jam hoc obliviosi Dei; ne rapiam, nec sit qui eripiat. Qui sacrificat laudem, honore afficit me: & qui componit viam, faciam ut is fruatur salute Dei. Psal. 50. vers. 16. ulque ad finem.*

Quintum petitionis argumentum ducit Daniel à suis & populi factis, cùm ait: *Peccavimus, improbè egimus.* Sententia est: tuum erit totum hoc opus, quod præstabis in reducendo ex captivitate populo, in ædificando templo, in extruenda civitate: ex eo nullam nobis laudem decerpemus, qui peccavimus, qui improbè egimus: in nobis nulla est causa, cur ira tua se à nobis avertat: quin potius causa iræ in nobis reperitur: ac proinde nos ipsi nos accusamus, nos ipsi reos nos peragimus, nos ipsi nos condemnamus, nos ipsi nobis ipsis irascimur, ut tu iram tuam à nobis amoveas. Fatemur nos nihil boni habere per nos ipsos; quia peccavimus, quia improbè egimus: ac proinde planè abnegamus nos ipsos & à te quicquid boni est, aut esse potest, certissima fide petimus & indubitata spe exspectamus. Hoc verè mirum est petitionis argumentũ, cùm nobis persuademus, nos impetraturos à Deo quæ postulamus, quia peccaverimus, quia improbè egerimus. At hoc non ita intelligendum, ac si Deus nostras exaudiret preces & nobis beneficeret, quia peccavimus & improbè egimus: nam propter peccatum jure nobis irascitur & mala immittit: sed quòd tum exaudiat preces, cùm peccata nostra confitemur & omnem causam boni extra nos esse agnoscimus. Sic precatus est David Psal. 25. v. 11. *Propter nomen tuum, Jehovah, condonabis igitur iniquitatem meam: nam magna est.* Sic Psal. 106. v. 4. 5. 6. *Recordare mei Jehovah, pro benevolentia quã prosequeris populum tuum; visita me salute tua: Ut fruatur bono electorum tuorum, ut læter letitia gentis tuæ; ut me laudibus offeram cum possessione tua. Peccavimus cum majoribus nostris; iniquè fecimus, improbè egimus.* Hinc constat, causam exauditionis precum extra nos esse: ut meritò mirum videri debeat, qui possint Papistæ Deum precari, cum aliqua meritorum suorum opinione: quãdoquidem Daniel & alij pij nõ nisi iræ & mortis materiam in se esse ingenuè sunt professi. Si reatum nostrum in precibus ad Deum allegare debemus; non

igitur merita. Hoc argumentum est apodicticum. Quò magis agnoscat homo reatum suum, eò certior est de exauditione precum: Sicut Paulus ait Rom. 5. *ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit gratia.* h. est. ubi magis agnoscutur & sentitur peccatum, lege illud revelante & exaggerante, ibi abundantius cognoscutur & sentitur gratia Dei.

*Sextum* petitionis argumentum ducit Propheta ab adjuncto Dei, eum inquit: *Secundum iustitias tuas, seu, secundum iustitiam tuam summam.* q. d. quoniam tu non falles eos qui in te confidunt, sed quicquid promissisti præstabis. Iustitia enim híc non significat iudicia: Sed voluntatem Dei in præstandis promissis. Nam iustitia Dei est propensissima ipsius voluntas suum cuiq; tribuendi, bonis quidem promissa bona; malis autem promeritas pœnas. Justus ergo est Deus non tantùm cum punit, sed etiam cum miseretur, cum peccata remittit & liberationem præstat quam servis suis est pollicitus: imò iustitia Dei patet in beneficiis præcipuè. Hoc argumento utitur etiã Nehemias cap. i. v. 8. 9. *Recordare, quæso, verbi quod præcepisti Moysi servo tuo, ut diceret: Vos prævaricaturi estis, ego dispergam vos in populos: Quam autem conversi ad me observabit is præcepta mea, & facietis ea: si fuerint depulsi ex vobis ad extremitatem caeli, inde colligam eos, & reducam eos in locum quem elegi ad collocandum nomen meum ibi.* Sic deprecatur irã à promissis Dei. Deus igitur justus est cum clemèntiam, misericordiam & liberalitatem promissam exhibet. Hoc est quòd Israëlita reduces dicunt Nehem. 9. v. 8. *Tu es Jehovah Deus, qui eligens Abramum eduxisti eum de Chaldeorum, & imposuisti ei nomen Abraham. Et veniens animum ejus fidelem coram te; etiam pepigisti cum eo fedus, te daturum terram Cananei, Chitthæi, Emoræi, Perizzæ, et Jeb. sæi & Gergaschæi, daturum, in quã, semini ejus: & præstitisti verba tua, quia justus es.* Eodem sensu dicitur Psal. 51. v. 16. *Libera me à sanguine, ò Deus, Deus salutis meæ: cantet lingua mea iustitiam tuam, hoc est, præstationem promissæ bonitatis.* Ita quoties in Psalmis occurrit, libera me secundum iustitiam tuã; nõ iudicij, sed promissæ liberationis exsequutio iustitiæ nomine intelligatur: et Psal. 71. v. 2. Quod verò Daniel dicit plurali numero, *secundum omnes iustitias tuas,* ad majorem fiduciam excitandam facit. Nam cum innumera essent populi peccata, quæ potuissent eum in mille abyssos demergerè, omnibus illis peccatis opposuit omnes Dei iustitias: ut quanquam incredibilis esset cumulus scelerum, tamen plures esse iustitias Dei indicaret. Quapropter cum precamur, iustitia Dei, hoc est, voluntate propensissima præstandi promissam remissionem peccatorum respicientibus niti debemus, quæ omnia nostra peccata longissimè excedit: scire debemus, quanquam multa atque innumera sunt flagitia nostra; infinitis tamen vicibus plures esse iustitias Dei, secundum quas respicientibus promissam iniquitatum condonationem & à malo liberationem largitur.

*Septimum* argumentum petitionis ducit Daniel à subjecto Jerosolymorum

inorum, cum Ierosolyma dicit esse civitatem Dei. q. d. Tua est hæc civitas, tu eam elegisti: Amove ergo ab ea iram tuam. His verbis avertit Deum ab intuitu peccatorum, quibus merito infensus erat Deus, & proponit ei gratuitam civitatis electionem, quam sciebat firmam esse & immutabilem & cuius Deum non pœniteret. Hæc gratia nunquam satis prædicari potest, si quæ civitas, sit Dei civitas, hoc est, quam Deus elegit, in qua se gratiosè patefaceret, in qua rectè agnosceretur & coleretur. Non potest satis celebrari hæc gratia: atque utinam Basilea eam agnosceret & rectè, sicut decet, æstimaret! Cæterum quia terrestria illa Ierosolyma typus Ecclesiæ Christi fuerunt, quæ vera est Dei civitas; hoc argumento certi esse debemus, Deum Ecclesiam suam non abjecturum, quia est ipsius civitas.

*Octavum* petitionis argumentum sumit à fine seu usu Ierosolymorū, quia sit mons sanctitatis Dei, q. d. est tua sedes, est locus quem tibi consecrasti in quo sanctissimū tuum nomen collocares, in quo cultus tuus exerceretur, in quo sacrificia tibi offerrentur: qui esset typus Ecclesiæ venturi Messiae. Propter hanc causam fideles tanti fecerunt Ierosolyma, ut si iis carendum esset, in perpetuo luctu versarentur. Nam exclusio ab urbe Ierosolymis, ipsis erat signum exclusionis ab Ecclesia Christi. Hinc queritur David in oratione ad Saulem 1. Sam. 26. v. 19. *Expellunt me hodie, ne cooptatus hæream possessioni Jehovæ, dicentes, abi cole deos alios nos.* Et Psal. 42. v. 3. *Sitiens est anima mea Dei, Dei fortis viventis, dicens: quando accedam ut appaream in conspectu Dei?* & v. 5. *Effundo in me animam meam: me fuisse transiturum in turba, gressurum cum illis ad domum usq; Dei cum voce cantus & laudationis, multitudinem feriente.* Hinc fideles in captivitate Babylonica se devovebant, si Ierosolymorum obliviscerentur, & si non plures facerent urbem sanctam quàm lætitiā ullam quæ illis vel maxima offerri posset. Sic enim ajunt Psal. 137. v. 5. 6. *Si obliviscar vestri, ô Ierosolyma; obliviscatur sui dextera mea. Adhæreat lingua mea palato meo, si non recorder tui: si non eveham Ierosolyma supra caput lætitiæ meæ.* Fideles itaq; magnificiebant Ierosolyma propter montem sanctitatis Jehovæ. Unde colligimus, quæ urbes hodie sint magnificiendæ, nempe illæ in quibus est sanctitas Jehovæ, in quibus est sanctus & purus Dei cultus, in quibus est vera Dei Ecclesia. Cognoscimus inde, propter quid civitas aliqua sit magnificiendæ ac desideranda, nempe propter sanctitatem Jehovæ in illa, propter sincerū & incorruptū cultum Dei, propter Ecclesiam Christi: non autē præcipuè propter divitias, potentiam, elegantiam, amœnitatem & comoda hujus vitæ, aut quia patria sit. Hinc reputemus, quàm miserè deludantur, qui Romam magnificiunt & in cælū tollunt, qui Romæ videndæ desiderio tenentur. Daniel & alij pij qui erant Babylone, Ierosolymorum desiderio tenebantur: isti cum Ierosolymis, hoc est, in vera Christi Ecclesia sint aut esse possint; Romam, hoc est, Babylonem cogitant. Hi Ierosolyma spernunt & Babylonem

magnificiunt, duobus ab Apostasia digitis distantes. Porrò Daniel Montis mentionem facit, quia domus Iehovæ fuit à Salomone ædificata in monte Morijæ 2. Chron. 3. v. 1. in quem Abrahamus ex oraculo filium Isaacum immolandum abduxerat Gen 22. v. 2. Sic Daniel, precibus suis pondus conciliare studet. Nos eodem fundamento niti possumus, cum pro Ecclesia Christi oramus, cuius typus fuit templum in monte Morija exstructū. Amolietur Deus iram suam ab Ecclesia sua, quia est mōs sanctitatis ipsius, quia in ea habitat, in ea agnoscitur, in ea nomen ejus celebratur.

Nonum petitionis argumentum sumit Propheta ab adjuncto Ierosolymorum & populi: quia opprobrio sint gentibus. Enthymema tale est: Opprobrio est & civitas tua & populus tuus gentibus: Avertatur ergo ira tua atque excandescencia à civitate tua & populo tuo. Hoc argumentum plurimum valet ad movendū Deum: nam primò quòd gentes ludibrio habebant Ierosolyma ac Iudæos, hoc in Dei ipsius ignominiam recidebat: irriris Iudæis, Deus ipse irridebatur, quia Iudæi erant populus Dei; sicut eos hoc ipso in loco Propheta appellat. Deinde quia Ecclesia Iudæorum afflictissima nullam apud homines commiserationem potuit reperire, sed potiùs fannas & ludibria reportabat; cōvertit se ad Deum ad miserendum propensissimum. Hoc argumentum prolixè tractatur & exaggeratur in Lamentationib. Ieremiæ velut cap. 1. v. 8. *Omnes qui honore afficiebant eam, vilipendunt eam, quia viderunt nuditatem ejus; etiam ipsa gemit, & avertit se retrorsum.* v. 9. *Respice Iehova afflictionem meam, quòd magnificet se inimicus.* v. 11. *Respice Iehova & intueere, me vilipendū.* v. 12. *contestatur Ecclesia gentes ad permovendum illas, flectendum quæ ad misericordiam: O transeuntes viâ omnes, intuemini & videte, an sit dolor par dolori meo, qui factus est mihi.* & v. 18. *Audite quæso omnes populi, & aspiciate dolorem meum, virginum mearum, & juvenum meorum abeuntium in captivitatē.* Verùm tantum abfuit, ut Gentes ulla commiseratione calamitatū Ecclesiæ Iudaicæ caperentur, ut etiam ludibrio eam habuerint, & de malis ejus gavisi fuerint: sicut Ieremias queritur Lamentationum cap. 2. v. 15. 16. *Plaudunt super te manus suas, omnes transeuntes viâ, sibilant & movent caput suum contra filiam Ierosolymorum: bæccinne, inquam, civitas illa, quam dicebant perfectam pulchritudine, gaudium toti terræ? Dilatant contra te os suum omnes inimici tui, sibilant & frendunt dentibus suis dicētes, absorbuimus: utiq; hic dies ille est, quem exspectabamus, præsentē habemus, videmus:* Et cap. 3. v. 14. *Sum risui cum toto populo meo, modulatio istorum toto die.*

Sensus igitur noni argumenti est: Respice Iehova, quid fiat civitate tua & populo tuo; intueere & aspice opprobrium nostrū. Audientium nos in gemitu esse nemo consolatur nos, omnes inimici nostri audito malo nostro, gaudent. Purgamentum & rejectamentum sumus in medio istorum populorum: Dilatant contra nos os suum omnes inimici nostri. Audis probum istorum, ô Iehova, sermones insurgentium in

nos. Sedere istorum & surgere istorum intueri, nos esse modulationem istorum. Clamat cor istorum contra Dominum. Propter hoc est languidum cor nostrum, propter hæc obtenebrati sunt oculi nostri: Propter montem Tziionis qui desolatus est. Tuum nomen expositum est contumeliis gentium: tibi insultant gentes. Eodem argumento utuntur fideles Psal. 44. v. 14. 15. 16. 17. Item Psal. 89. v. 42. 51. ab Antiocho Epiphane oppressi Psal. 79. v. 4. *Sumus opprobrio vicinis nostris, sanne & ludificationi circumstantibus nos.*

HOË argumentum est diligenter perpendendum. Nam ex eo discimus qualia sint incrementa afflictionum Ecclesiæ. Ecclesia patitur persecutiones ab hostibus: afficitur multis malis, ut direptione bonorum, exilio, captivitate; at nullum malum est gravius ludibriis quæ hostes addunt. Magna est afflictio patriâ privari, fortunis omnibus exui, captivum abduci, in exilio versari nudum & rerum omnium egenum, in vinculis detineri, cruciatibus torqueri: at si ad istas afflictiones accedant ludibria hostium, fieri non potest quin graviter animi afflictorum vulnerentur. Ideo sancti sollicitè sannas hostium deprecabantur: sicut David Psal. 35. v. 21. 22. *Dilatant contra me os suum; dicentes, Euge, Euge, videt oculus noster. Vides Jehova, ne sileas; Domine ne longè absis à me: & Psal. 38. v. 17. 18. Quia dico, ut non lætentur de me, nutante pede meo, cõtra me magnificent se. Si ego ad claudicationem comparatus fuero; & dolor meus coram me fuerit jugiter.* Omnium verò gravissimè necesse est cor affligi, quum ludibria ab hostibus effusa in Deum ipsum recidunt: cujus afflictionis exemplum præcipuum est in capite Ecclesiæ Christo, qui Psal. 22. v. 7. 8. 9. queritur: *At ego sum vermis, ac non vir; opprobrium hominũ & contemptus populo. Omnes videntes me subsannant me; diducunt labium, movent caput. Devoluit se ad Jehovam (inquiunt) liberet eum; eripiat eum, quandoquidem delectatur eo. De quo testatur & Matthæus cap. 27. v. 39. & sequentibus. Qui verò præteribant, conspiciabantur ei, moventes capita sua: Et dicentes, Tu qui destruis templum, & tri-duo ædificas, serva temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter autem etiam primarii sacerdotes illudentes cum scribis & senioribus, dicebant; Alios servavit, seipsum non potest servare: Si rex Israelis est, descendat nunc de cruce & crederemus ei. Confidit in Deo, eruat ipsum nunc, si placet ei, dixit enim, Filius Dei sum. Id ipsum autem etiam latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei. Quod Capiti Ecclesiæ accidit, idem membris quoque corporis ejus evenit: ut Davidi, qui Psal. 42. v. 4. queritur: *Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdiu & noctu; dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus? & vers. 11. Sic in vadunt ossa mea, probro afficientes me hostes mei; dum dicunt mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* Ita cum hostes blasphemias in Deum evomunt, perinde faciunt ac si gladiis confoderent pios, adeo indignè blasphemias pij perferunt. Similiter fideles ab Antiocho Epiphane aut potius Epimane oppressi queruntur Psal. 74. vers. 10. *Quorũ quæ, ò Deus, probro afficiet hostis? irascitur ab inimico nomen tuum in æternum?* Et v. 18. orant Deum, ut vindicet*

nomen suum à blasphemii quas in ipsum hostes torquebant: *Recordare hujus, inimicum probro afficere, ô Jehova, & populum stultum irritare nomen tuum.* & v. 22. *Surge, ô Deus, age causam tuam; recordare opprobrii tui, quo afficeris à stulto quotidie.* Sic orant Psal. 123 v. 3. 4. *Gratiam fac nobis Jehova, gratiam fac nobis; quia satis est, saturi sumus contemtu: Plurimum saturata est anima nostra fannis.* Quoties ergo affligitur Ecclesia Christi & fannis exagitur ab hostibus, id nobis stimulus esse debet acutissimus ad deprecandum Deum, ut iram suam ab ea avertat, ut excandescentiam suam ab ea amoliat: non tam quòd nos attingant ludibria, quàm quòd in Deum ipsum præcipuè conferantur, cujus est Ecclesia. Sic ad imitandum nobis servit exemplum Ecclesie Judaicæ in Babylonia exulantis. Idem servit nobis consolandis in simili casu: nam si accidat, ut nos hostes affligant ac præterea superbè in calamitatibus nostris ludificentur, quemadmodum nunc videmus, impios captare omnes occasiones, quibus nos ob veritatis cælestis professionem probrosè traducât; cogitemus nos socios esse Danielis, Nehemiæ, Ezræ & aliorum piorum, qui eadem sunt passi.

*Hic igitur est usus argumenti noni.*

Ceterùm amplificat illud Daniel dupliciter: primò indicatione causæ propter quam Jerosolyima & populus Dei fuerint opprobrio, cùm ait: *propter peccata nostra & propter iniquitates patrum nostrorum.* Illud magnum robur addit argumèto nono: nam potuisset alioquin videri simplex querela, sed quæ addit causam opprobrii esse peccata; fatetur se universamquæ populum justè illud promeritos esse. Venià dignus est, qui peccati exculationem non quærit: ubi enim est confessio, ibi remissio: quia proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confessio. *Confessio est per quam anime morbus latens spe consequendæ veniæ in Dei laudem aperitur:* ait Isid. lib. etym. *Mira compensatio, stupenda vicissitudo, Domino suo propria mala dicere, & ab eodem præmia salutis accipere.* Calsiod. in Psal. 32. *Mira certè permutatio, coram Deo confiteri suum maleficium, & contrà ab eo accipere beneficium.* Consentit cum hoc etiam Seneca hominis Ethnici sententia epist. 29. *In tium salutis, notitia peccati.* Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult: ideo quantum potes, te ipsum argue, inquire in te, accusatoris primùm partibus fungere, deinde judicis, novissimè deprecatoris. Ceterùm colligimus inde, fatius esse Deo miseras suas exponere quàm hominibus. Nam homines, si quis exponat iis miseriam suam quæ justè sit promerita, plerumquæ non misereantur, sed etiam insuper insultant & dignum esse pronunciant qui talia patiat; si quis non sit commeritus, fieri potest ut misericordiâ moveantur. At Deus tantò magis miseretur, quâto magis peccator fatetur, se promeritum esse quæ patitur. Nihil enim magis amat Deus, quàm ingenuam confessionem. Non movebit Deum nostra miseria, nisi fateamur nos eam promeritos esse. Si expetis,

expetis, ut Deus cōmiseratione tuæ calamitatis tangatur, apertè confitère te propter peccata tua eam pati. Confessio peccati, erit medicina mali. Cognoscimus etiam hinc discrimen inter pios & impios afflictionem ferentes. Impij de afflictione murmurant: pij iustitiam Dei agnoscant & culpam suam cognoscunt. *Plerunq; gravior certaminis est, commissæ peccata prodere, quàm non admissa vitare,* ait Gregorius li. 12. moral. Observandum etiam quòd Daniel conjungit utrumque, *propter peccata nostra & propter peccata patrum nostrorum.* Sic enim fatetur, dignos se esse qui propter patrum suorum peccata puniatur, quia illorum ipsi vestigiis institerant: iustum enim est, ut Jehova Deus qui est fortis zelotes, visitet iniquitatem patrum in filios, in nepotes & in abnepotes, in eos qui odio prosequuntur ipsum. Exod 20. v. 5. Hoc admonemur exemplo, ut cum publica damna in nostros thalamos intrant, cum calamitatibus communibus involvimur; agnoscamus id accidere non solum propter nostra peccata, sed etiam propter patrum nostrorū peccata, quæ Deus iustè in nobis plectit. Ne dicamus cum improbis Iudæis, *patres nostri comiderunt uvas acerbas, at nobis stupefacti sunt dentes:* nam peccata parentum iustè à Deo plectuntur in liberis ipsorum. Huic nostræ explanationi videtur obviare, quòd fideles queruntur Lamentat. Ieremiæ 5. v. 7. *Patres nostri peccaverunt & non supersunt: nos verò pœnas eorum ferimus.* Verùm fideles non negant ibi, se iustè castigari: verùm amplificat solummodò calamitates suas comparatione. q. d. Meliùs actum est cum patribus nostris, quàm agatur nobiscum: nam peccaverūt illi quidem, sed brevi supplicio de peccatis suis affecti sunt: nos verò eò sumus infeliciores, quòd eorandem peccatorum rei, pœnas diuturnas ferre cōpellimur, quibus foret jucundius semel emori, quàm vitam invitam vivere. Si, ergo primò amplificat Propheta non unum argumentum: *secundò* amplificat idem à genere, cum non simpliciter ait, sumus opprobrio vicinis nostris: sed emphaticè & generatim, *Omnibus vicinis nostris.* Levior fit nobis calamitas, si quis sit, quem nostri misereat, qui nobis cōpatiatur, qui nos consoletur. At si prorsus nemo condoleat, auget hoc dolorem. Psal. 69. v. 21. *Opprobrium frangit animum meum, adeo ut afficiar aegritudine: quomq; exspecto qui condoleat, vniro adesset & consolatores, tamen non inuenio.* Quid ergo tunc faciendum? Id quod Daniel fecit & Ecclesia Iudaica in Babylone. Quam apud homines nullum misericordiæ locū relictum esse videret, ad Deum se convertit, qui solus verè scit misereri: ei exposcit opprobrium quòd ferret. Ita & nos. quia misericordiam apud homines non licet reperire, aut etiam si illi cōmiseratione tangantur, open tamen ferre nequeunt: apud Deum eam quæramus, qui & misereri novit & opitulari, imò cuius misereri est opitulari. Ubi omnino humano auxilio destituimur, ibi divinum incipere sciamus.

Hactenus explicata est prima petitio Danielis.

SECUNDA PETITIO Danielis est, ut Deus declaret paternum fa-

vorem suum erga sanctuarium, civitatem & populum. Quemadmodum prima petitione deprecatus est Propheta iram Dei: ita hac secunda petitione comprecatur favorem Dei. Nam cum dicit, *audi Deus nos ster, orationem servi tui & supplices preces illius, fac ut luceat facies tua super sanctuarium; item aperi oculos tuos & vide desolationes nostras & civitatis Jerusalem;* metaphoris utitur. Quoniam enim Scriptura dicit Deum aures obturare, surdum agere, renuere audire, cum iratus invocantes divi quasi frustra clamare sinit & postulata ipsis non largitur: ita cum clementer impertitur invocantibus ea quæ ab ipso petunt, dicitur *audire*. Similiter quoniam Scriptura calamitates nostras tenebris comparat, ideo Deus à cujus favore promanat omnis nostra felicitas, dicitur *facere ut luceat facies ejus super nos, cum nos à malis liberatos vel custoditos bonis suis donat* Psal. 44. v. 4 & vel in statum felicem restituit vel in eo conservat. Eodem sensu dicitur Psal. 4. v. 7. *Multi dicunt, ò si quis efficiat ut fruamur bono: attolle super nos lucem faciei tue Jehova.* Cæterum ista precatationis formula est desumpta ex formula benedictionis, quæ Sacerdotes populo benedicere jussi erant Num. 6. v. 24. & sequentibus. *Benedicat tibi Jehova & custodiat te: Faciat Jehova, ut luceat facies sua tibi & gratiam faciat tibi. Attollat Jehova faciem suam erga te & apponet tibi pacem.* Eadem formula ter utitur fideles Psal. 80. v. 4. 8. 20. *O Deus restitue nos, & fac ut luceat facies tua; ita servabimur.* Quia Sol & scutum est Jehova Deus. Psal. 84. v. 12. Ita cum affligimur, videtur Deus oculos clausisse & non videre quid de nobis fiat: at cum nobis opem adfert, vel allaturus est, dicitur rursus oculos aperuisse & nostras calamitates videre. Sic dicitur Exod. 2. v. 25. *Respexit Deus filios Israelis: & cap. 3. v. 7. ipsemet Deus ait ad Moysen: Videndo vidi, seu, probe vidi afflictionem populi mei qui est in Egypto.* Proinde sententia hujus petitionis est hæc: Restitue, ò Deus, sanctuarium tuum, civitatem tuam & populum tuum: ostende nobis Jehova, benignitatem tuam; & salutem tuam da nobis Psal. 85. v. 5. 8.

Ex hac secunda petitione Danielis discimus. Primò quo maximè indigemus cum in tota nostra vita, tum quando premimur rebus adversis? Indigem⁹ maximè paterno Dei favore. Deinde qua ratione Deus favorem suum erga nos declaret? Declarat eum, cum audit preces nostras, cum facit ut luceat facies ipsius super nos, cum aperit oculos suos & videt miseras nostras. Porro argumenta petitionis secundæ adhibet Propheta octo.

*Primum* ducit ab adjuncto tempore præstandi favorem: cum ait, *Et nunc.* q. d. tempus est benevolentia, ut David precatur Psal. 69. v. 14. *tēpus est jam ut benevolentia tuā utaris erga nos & ostendas eam: pro ut ab æterno statuisti & per Prophetas tuos prædixisti hoc benevolentia & gratia tempus ad servandum tuos.* Nam erant jam finiti 70. anni captivitatis, post quos se populum in patriam reduciturum promiserat. Huc pertinet quod dicitur Ies. 49. v. 8. & 2. Cor. 6. v. 2.

*Secundum*

*Secundum* petitionis istius argumentum ducit Propheta ab adjuncto Deo, cum ait, *Deus noster*. Tum gratæ sunt Deo preces nostræ, tum exaudimur, cum eum invocamus hac certa cum fiducia quod sit Deus noster, qui nobiscum iniit fedus gratiæ. Quapropter quâdo precamur, memores simus federis sancti, eoq; nitamur, ut verè Deum dicere possimus, nostrum Deum. Psal. 74. v. 20. precatur Ecclesia; *Intu ère in fedus*.

*Tertium* argumentum ducit à sanctuarij subjecto, quia sit Dei: Hoc argumentum ponit, cum ait: *super sanctuarium tuum*. Sanctuarium in Scripturis appellatur locus ille intimus tēpli Ierosolymitani, ubi Deus Cherubinis insidebat super arca, præsentie suæ symbolo: at per Synecdochen sic vocatur tota illa regio, quam Deus ex aliis omnibus elegerat & ad habitationem populi sui & Ecclesiæ suæ sanctificarat, suoque cultui sanctissimo destinarat: Proinde etiam sanctuarium Dei nominatur. Sententia autem secundi argumenti hæc est: Sanctuarium est tuū, quod stabiliverunt manus tuæ, ut Moses ait Exod. 15. v. 17. in quo gratiosam præsentiam tuam declarares: fac igitur ut facies tua luceat super illud & restitue illud in statum pristinum. Hoc petitionis argumentum est studiosè observandum: nam plurimum momenti habet ad fulciendam fiduciam exauditionis precum. Qui certò persuasus est, se esse Dei; is etiam confidet, orationem suam exauditum iri. Quî enim repelleret Deus eum, qui est ipsius? quem ipse elegit?

Secundè videamus *quartum* petitionis argumentum, quod ducit Propheta ab adjuncto sanctuarij, *quia desolatum sit*. q. d. Intuere è cælis, & vide, ex habitaculo sanctitatis tuæ, & ornatus tui: ubi est zelus tuus, & maxima potentia tua? fremitusne viscerum tuorum & misericordiæ tuæ erga me continerent sese? hostes nostri cōculcarunt sanctuarium tuū: gentes ingressæ sunt sanctuarium tuum: immiserunt ignem in sanctuarium tuum, dejicientes in terram prophanarunt tabernaculum nominis tui. Attolle pedes tuos ad vastitates æternas. O Deus ingressæ sunt gentes in possessionem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuæ; disposuerunt Ierosolyma in cumulos. Sancti commemorant Deo tristem suum statum & quid corda ipsorum cruciet: quia nusquam major reperitur misericordia, quàm apud Deum: cum homines vel nulla commiseratione alienarum calamitatum tangantur, vel si tangantur, auxilium ferre non possint. Si quid igitur nos dolore afficit, in sinum Dei effundamus ad miserendum propensissimi. Discimus verò etiam ex hoc loco: Quid nam sanctis maximum dolorem pariat? nimirum non tam privata damna, quàm desolatio sanctuarij Dei. Videte quantum discriminis sit inter dolorem improborum & sanctorum. Improbi dolent quod agri, horti, vineæ, domus ipsorum sint vastatæ; quod fortunæ & opes, per fas atq; nefas corrasæ, sint ereptæ quod libertas adempta, quod lucrum aliquod amiserint vel neglexerint, quod detrimenti aliquid in bonis temporalibus acceperint: at sancti lugēt, quod sanctuarium Dei

fit desolatum, quod puræ religionis exercitium ademtū, quod sanctus Dei cultus impeditus vel sublatus. O utinam discamus majoris facere sanctuarium Dei, quàm alia omnia quæ in hoc mundo hominibus chara esse solent! Videte etiam quantum differant vota improborum & sanctorum. Impij optant, ut multis hujus vitæ bonis abundant, ut illis cum voluptate non tam perfruantur, quàm abutantur: at sanctorum votum est, ut facies Dei super sanctuarium ejus luceat.

Nunc *quintum* petitionis argumentum meditemur, quod est causa propter quam Propheta petit exaudiri & propter quam confidit se exaudiri iri; nempe, PROPTER DOMINUM, hoc est, propter Messiam promissum mundi Servatorem, propter Christum Iesum. Iudæorum Rabbini ducti odio Christi & Christianorū hunc locum destinata quadam malitia depravant; quanquam inter se non consentiant. Nam R. Mosche, (quem citat Aben Ezra,) & R. Saadja per Dominum intelligunt, Abrahamum: At hanc interpretationem refellit Iesaias, qui dicit cap. 64. v. 2. *Abraham nescit nos*. Quomodo ergo propter Abrahamum peteret Daniel se exaudiri? Prophetæ inter se non pugnant. Alij aurem Rabbini dicūt, nomen מֶלֶךְ poni loco pronominis, ac si esset מֶלֶךְךָ, hoc est, propter teipsum: at corruptela hæc est nimis manifesta. Nam nomen non solet repeti loco relativi pronominis, nisi relativum aut ambiguitatem, aut obscuritatem aliquam esset pariturum: velut Gen. I. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum*. Hic in posteriore membro Moses de industria repetivit nomen Dei, ut antecedentis affixi seu pronominis ambiguitas sublata esset. At causa ista hic locum non habet, cum affixum secundæ personæ ambiguitatem vel obscuritatem afferre non potuerit. Sed valeant Rabbini. Papani etiam Judaizant: nam vulgatam versionem Latinam amplectentes legunt, propter teipsum. Sunt enim hostes DOMINI nempe IESU, quem multis modis abnegant & oppugnant: quid mirum si versionem vitiosam probent, in qua evanuit DOMINUS, quem credimus esse CHRISTUM? Qui non honorat Filium, non honorat Patrem Nos sequentes textum Hebræum reddimus, PROPTER DOMINUM, & intelligimus hunc DOMINUM propter quem Daniel se petit exaudiri, æternum Dei Filium, MESSIAM promissum, IESUM virginis Mariæ filium, quem Deus fecit Dominum & Christum, ut Petrus ait Act. 2. v. 36. quem constituit heredem omnium Hebr. 1. v. 2. quem Elizabeth Dominum suum esse confessa est Luc. 1. v. 43. quem Angelus pastoribus natum annuntiavit Luc. 2. vers. 11. Ecce annuncio, &c. Eodem argumento utitur Ecclesia Psal. 80. v. 15. 16. *O Deus exercituum, revertere jam, intuerè calis & respice: ac visita vitem hanc, Et surculum quem plantaverat dextera tua: idque propter Filium quem fortificasti tibi, & quem filium intelligat mox explicat v. 18. cum ait: Adsit manus tua viro dexterae tuae: filio hominis, quem fortificasti tibi. Iste vir dexterae Dei est Davidis Dominus ille cui dixit Domi-*  
nus,

nus, sede à dexteris meis Psal 110. v. 1. Eodem argumento utitur David Psal 84. v. 10. *Scutum nostrum aspice, ô Deus; & intueri faciem Christi. tui. q. d. Intueri me in facie Unigeniti tui Filij, dilecti tui, in quo nos diligis & propter ipsum me exaudi. Usus argumenti istius est ingens. Nam primum discimus ex eo, Messiam seu Christum esse DOMINUM. Est autem Dominus, jure naturali & acquisito. Jure naturali Dominus est, quâ Deus seu creator, qui naturâ est universonum Dominus. Jure acquisito est Dominus, quatenus Mediator. Jus istud acquisitum triplex est, hæreditatis, redemptionis & connubij Jure hæreditatis Dominus est: quoniam Pater nos ipsi dedit in hæreditatem ut essemus ejus populus. Testis est Messias ipse qui Psal 2. v. 7. 8. introducit Patrem in hunc modum loquentem: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & donabo gentes in possessionem tuam & fines terræ jure hæreditatis tue.* Et Joh. 17. v. 2. ait Christus, *sibi datam esse potestatem in omnem carnem.* Petrus verò Act. 2. v. 36. testatur: *Certò sciat tota domus Israelis, quòd Deus hunc fecerit Dominum & Christum, hunc ipsum J. sum, quem vos crucifixistis. Quem constituit hæredem omnium, ait Paulus Hebr. 1. vers 2.**

Jure redemptionis Dominus est, quia nos redemit & sibi acquisivit suo sanguine. Act. 20. v. 28. Hinc ait Paulus 1. Cor. 6. v. 19. 20. *Vos non estis vestri juris. Nam emi estis pretio. Unde appellamur Christi populus & peculiaris, hoc est, qui ipsius sit peculij instar. Tit. 2. v. 14.*

Jure connubij Dominus est, quia est sponsus, maritus & vir Ecclesiæ. Est enim maritus, uxoris dominus & caput.

Hoc primum ex argumento isto discimus. Secundò discimus inde, Christum Dominum esse unicū illum Mediatorem inter Deum & homines, propter quem Pater preces nostras exaudit, propter quem nobis omnia largitur, propter quem nos acceptos Patri esse & omnia bona salutaria impetraturos confidere debemus. Ita enim petit Daniel exaudiri, propter Dominum. David Psal. 80. 16. propter Filium. Sic 2. Sam. 7. v. 21. ait: *Propter SERMONEM tuum, & secundum animum tuum; præstas has omnes res maximas; notas faciendo seruo tuo.* Per Sermonem intelligit Christum, æternum Dei Filium qui est λόγος ille Dei ἐμὸς Patri. Ita dicitur 2. Sam. 12. v. 24. 25. de Salomone: *Jehova dilexit e. m: & mittens per Nathanem prophetam, vocavit etiam nomen ejus J. d. djam [id est, amatum Deo;] propter Jehovam, hoc est, propter Christum qui est Jehova ἐμὸς Patri & Spiritui Sancto: in quo Christo & gratas fuit Deo Salomon & typus fuit æterni Regis Christi. Propter Christum vivemus. Sicut Dominus ipse ait Joh. 6. v. 57. ὁ φάγω με, & ζήσεται δι' ἐμῆ. Qui ederit me, & viderit ipse quoq; propter me. Quanquam possit etiam verti hoc loco, per me. Propter Christum peccata nobis remittuntur, ut testatur Johannes 1. ep. 2. ver. 12. *Scribo vobis filioli, quoniam remissa sunt vobis peccata propter nomen ejus.**

Cæterum huic doctrinæ videtur repugnare, quod dicitur 1. Reg. 11.

v. 12. 13. ad Salomonem. *Diebus tuis non faciam hoc, propter Davidem patrem tuum: è manu filij Dei lacerabo illud. Sed totum hoc regnum non lacerabo, tributum unam dabo filio tuo; propter Davidem servum meum, & propter Ierosolyma quæ elegi. Item cap. 15. v. 4. Propter Davidem dedit Jehova Deus illius illi Abijamo lucernam Ierosolymis. & 2 Reg. 19. v. 34. ad Ezechiam. Protegam civitatem hanc, & servandam eam; propter me & propter Davidem servum meum. Sic Psal. 132. v. 10. Propter Davidem servum tuum, ne avertas faciem uncti tui. Psal. 68. v. 39. 30. Confirma, ô Deus, quod operatus es in nobis. Et templo tuo propter Ierosolyma. At quod attinet ad hæc dicta ex libris Regum & Psalmo allegata, in illis amphibolia est in verbis, propter Davidem, quæ non habent hunc sensum ac si dictum esset, propter Mediatorem Davidem, vel propter meritum & intercessionem Davidis, sicut accipiuntur verba propter Christum, hoc est, propter meritum & intercessionem Christi: Sed ita sunt intelligenda ac si dictum esset, propter pactum cum Davide initum seu propter promissionem Davidi factam de familia & regni ejus conservatione & perpetuitate, quia ex ejus stirpe nasciturus erat Messias, cujus regnum oportet esse æternum. Promissio illa existat 2. Sam. 7. v. 12. & sequentib. Psal. 89. v. 4. 5. item v. 28. & sequentib. Hinc fideles expostulant eodem Psal. 89. v. 50. *Ubi sunt benignitates illæ pristinæ, Domine, quas juraveras Davidi per fidem tuam?* Psal. 132. phrasis hujus explicatio traditur vers. 11. *Juravit Jehova Davidi veritatem, à quâ non avertit se, dicens: De fructu ventris tui ponam in solio tuo.* Similiter accipienda sunt verba, propter Ierosolyma, quasi dictum esset, propter promissionem de Ierosolymis factam, propter electionem gratuitam & fedus initum cum Ecclesia, quæ vera est Ierusalem mater omnium nostrum Gal. 4. v. 26. Nam *eligit Jehova Tzionem, expetivit pro habitatione sua, dicens: Hæc est requies mea usque in sempiternum; hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram.* Psal. 132. v. 13. 14.*

Sextum petitionis secundæ argumentum ducit Propheta à civitatis Ierosolymorum & gentis Israëliticæ adjuncto: quia super eam nomen Iehovæ sit vocatum seu invocatum. Hæc formula loquendi, *super alio quem nomen alicujus vocari seu invocari*, significat Sortiri nomen seu appellationem ab aliquo, vocari de nomine alicujus, & dici esse illius. Sicut Iesa. 3. yer. 28. dicitur: *Prebendent septem mulieres virum eundem tempore illo, dicendo, cibum nostrum comedemus & vestimentum nostrum induemus: tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, hoc est, vocemur de nomine tuo dicamur esse tuæ uxores; fac ut liberos suscipiamus ex te, ne probro sterilitatis subiaceamus. Ita cum dicit Daniel, nomen Iehovæ esse vocatum seu invocatum super Ierosolyma & super populum Israëliticum, nihil aliud intelligit, quàm Ierosolyma & populum vocatum esse de nomine Dei, hoc est, Ierosolyma vocata esse civitatem Dei & populum Israëliticum vocatum esse populum Dei. Hac denominatione designata fuit gratuita electio. Observanda est hæc explicatio propter Papistas, qui ex eo quod dicit Jacob Patriarcha de Ephrajimo & Manasse Gen. 48.

v.16. invocetur vel vocetur super eos nomen meum & nomen patrum meorum Abrahami & Isaaci; colligunt sanctos demortuos esse invocandos; Atqui verborū Iacobi iste est sensus: Ephraïmus & Manassēs, vocantur mei & majorum meorum filij, eodem gradu quo reliqui mei filij, ita ut non veluti nepotes succedant in stirpem, sed velut mei ipsius filij in capita, atque in hæreditate herciscunda separatim quilibet utrorumq; tantundeni accipiat, quantum unusquisq; reliquorum meorum filiorum. Ergo his verbis non præcepit Iacobus invocationem sui & Abrahami & Isaaci, sed solummodo Ephraïmum & Manassē in filios adoptavit, ut in Iosephum duplam hæreditatis conferret. Deinde ex argumento isto discimus, magnam esse gratiam Dei & gloriam, civitatem aliquam, civitatem Dei; & populum aliquem, populum Dei vocari, sed cum veritate vocari. Tunc autē verè, Dei vocatur civitas vel gens aliqua, cum à Deo adoptata id studet esse, quod dicitur. Alioquin sub nomine Dei latere hypocritæ consueverunt. *ὁ δὲ λέγει τὸν θεὸν κύριον καὶ θεοσεβῶντα* ait Aristoteles cap. 1. de Sophisticis Elenchis. Ita Papiani, quia Catholici appellantur, Catholicos se esse gloriantur: nomen Ecclesiæ Catholicæ sibi arrogant, rem ipsam non habent. Atqui Ecclesiā Catholicam seu Ecclesiam Dei vocari, quid præclarū habet, quando res ipsa nomini non respondet? Hoc enim quid aliud est, quàm larvis spectrisq; se pascere? Sed ut pulchra sunt, quæ naturalem & insitam habent pulchritudinem: sic qui adulterinam adhibent comam, & fucis atque calamitris se concinnant, non illi pulchritudinem cōmendant, sed adscititio ornatu insitam turpitudinem celant. Pariter ut verè vocantur Dei Ecclesia & populus, qui Deo se adhærere testatū faciunt pura fidei professione, Sacramentorū divinitus institutorum integritate, cultus divini sinceritate, & vitæ morumq; sanctitate: ita Papistæ qui solum nomen jactant Ecclesiæ & splendida ejus encomia perpetuò in ore habent, sub nomine Ecclesiæ Catholicæ latent & homines imperitos ludos faciunt. Catholicorum nomen ipsis perinde competit, quemadmodum exanimi siccoq; *ὄψαλον*, in quo præter ossa & nervos nihil remanet, hominis tamen nomen tribui solet. Non igitur de titulis *ἡ δὲ δὲ δὲ δὲ δὲ* gloriandum, aut ipsa Ecclesiæ Catholicæ possessio ad inane vacuumq; nomen alliganda. Catholicus est, non qui Romani Pontificis auctoritatem sequitur, sed qui Christi doctrinam profitetur: hanc qui retinet, Catholicus est: hanc qui amittit, dici Catholicus potest, esse non potest. Quemadmodum autem Papistæ meritò reprehenduntur, nomen Ecclesiæ Catholicæ falso sibi arrogantes: ita nos, fratres charissimi, admonemur, ut non tam dici velimus, quàm esse Ecclesia Dei studeamus & re ipsa probemus, nos esse Dei. Porrò ut Daniel hoc argumentum sumsit ut firmissimum ad fiduciam impetrandi: ita fideles certi esse debent & possunt, suas preces exauditum iri, quia super ipsos, nomen Dei est invocatum, quia non frustra vocantur filij Dei,

Ecclesia Dei, populus Dei. Sequitur jam *septimum* petitionis secundæ argumentum, quod Propheta sumit ab oppositione adversorum: Non enim propter justitias nostras nos prosternimus preces nostras supplices coram te, sed propter miserationes tuas amplissimas. Justitias nostras vocat bona opera vel merita nostra. Deinde Prosternere preces coram Deo, metaphorica locutio est, quæ idem valet quod summa cum humilitate, sui dejectione, in metu, reverentia, sollicitudine opem Dei implorare. Quæ formulâ utitur etiam Jeremias cap. 42. v. 9. Sic ait Jehova Deus Israelis: ad quem misisti me, ut prosternerem deprecationem vestram coram eo. Et eodem capite, ver. 2. Procidat queso deprecatio nostra à conspectu tuo & ora pro nobis Jehova Deum tuum pro omnibus his reliquiis. Nec repugnat quòd sæpe dicuntur fideles orationem levare: & quod David dicit Psal. 141. vers. 2. statuatur vel ascendat oratio mea ut suffitus coram te. Et Apocal. 8. v. 4. Ascendit fumus suffituum, cum precibus sanctorum è manu Angeli ad conspectum Dei. Nam quas preces recognitio propriæ indignitatis deorsum prosternit, eas fides sursum attollit. Cæterum Daniel clarè opponit justitias nostras & miserationes Dei, ut sese mutuò tollentes: remotisq; suis justitiis ac meritis, solis miserationibus Dei nititur. Ad hujus verò argumenti amplificationem pertinet, quòd miserationes Dei amplissimas esse dicit. In illis enim tutò se recumbere indicat, etiamsi ad summum cumulum populi scelera ascendissent. Observandum hinc, necessarium esse ut quotiescunq; nos coram Deo precandi causâ sistimus, ne minimum quidem propriæ justitiæ nobis arrogemus, verum omni propriæ gloriæ cogitatione nos abdicemus, omnem dignitatis opinionem in exuamus, omni deniq; fiducia nostri decedamus, ac còtrà ad misericordiam Dei confugiamus, tanquam ad asylum, atque in ea sola recumbamus. Hujus submissionis exemplum hoc loco in Daniele habemus; eandem in aliis Dei servis perspicimus, quorù ut quisq; est sanctissimus, ita quum in Domini conspectum prodit, plurimum sese dejicit. Sic David orat Psal. 25. v. 6. Recordare miserationum tuarum Jehova, & benignitatum tuarum quæ à seculo sunt. & 51. vers. 3. Gratiam fac mihi, ô Deus, secundum benignitatem tuam; secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas. Et 69. v. 17. Exaudi me Jehova, quia bona est benignitas tua: secundum amplitudinem miserationum tuarum respice ad me. Et Psal. 143. v. 1. 2. O Jehova audi orationem meam, aures adhibe ad deprecationes meas, pro fide tua exaudi me, pro justitia tua. At ne congregiaris iudicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens. Sic precatur Jesaias cap. 64. vers. 10. & sequentib. Sumus ut immundus omnes nos & sicut panniculus abjiciendus omnes justitiæ nostræ, diffuimusq; velut folium omnes nos & iniquitates nostræ ut ventus auferunt nos: Nec ullus est qui invocet nomen tuum, excitans se ad prehendam te; quum abscondisti faciem tuam à nobis & dissolvisti nos per iniquitates nostras. Iam verò Jehova, pater noster es: nos lutum sumus, tu verò fictor noster es, & opus manus tuæ sumus omnes. Ne efferepescas Jehova quàm plurimum, neque in æternum recorderis iniquitas

iniquitatis: en intuerere quæsumus, nos omnes sumus populus tuus. Non secus Jeremias cap. 14. ver. 7. Quandoquidem iniquitates nostræ testantur contra nos, & Jehova, fac propter nomen tuum: nam multe sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus. O spes Israelis, servator ejus tempore angustia. Baruchus aut quisquis autor ille apocryphus est, orationis Danielis paraphrastes quidam est, & profus eodem argumento utitur cap. 2. v. 19. Non enim rectè factorum à majoribus nostris regibus, nostris nomine, effundimus nos miseram deprecationem nostram in conspectu tuo, Domine Deus noster. Unde etiam Iesaias cap. 63. v. 7. fatetur, Deum amplitudinem bonitatis suæ domui Israelis contulisse, sicundam misericordiam suam & secundum amplitudinem benignitatum suarum. Ex his judicari potest, quàm perniciosus sit error Papistarum, qui in precibus vel sua vel aliorum sanctorum merita allegant, vel conantur simul conjungere merita hominum & misericordiam Dei. Arqui, ut paulò antè dictum, Daniel horum duorum talem oppositionem facit, ut satis declaret, simul esse non posse. Nihilò magis convenit meritis nostris cum misericordia Dei, quàm aquæ cum igni, tenebris cum luce, injustitiæ cum justitia, Beliali cum Christo. Objici potest quòd interdum sancti David, Ezechias, Nehemias, suam propriam justitiam allegare videntur ad exorandum Deum. Nam David Psal. 86. v. 2. ait: Serva anima meam, quia sanctus sum. At non est ista superbia elati, sed confessio non in grati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me; quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti, non quia merui; quemadmodum Augustinus hunc locum interpretatur. Deinde sanctum esse, non est his idem quòd justum meritis propriis esse, sed ex promiscua & profana multitudine segregatum, in gratiam & fœdus Dei receptum & Deo consecratum esse, idque non à se, sed à Deo ipso: sicut & Paulus ait 1 Cor. 6. v. 11. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Quod EZECHIAS ait 2. Reg. 20. v. 3. Obsecro, Jehova, recordare jam me indesinenter ambulasse coram te fideliter & animo integro, & quòd bonum videtur in oculis tuis, fecisse: nihil sibi aliud vult, quàm ex ipsa regeneratione se in numero fervorum Dei & filiorum profiteri, quibus Deus fore se propitium recepit, seq; sincerè & citra hypocrisin conditioni adhæsisse quàm Deus Davidi proposuit 1. Reg. 8. v. 25. Non exscindetur tibi vir à conspectu meo sedens in silio Israelis: si tamen observabunt filij tui viam suam, ambulando coram me, quemadmodum ambulasti coram me: Petere igitur, ut Deus memor promissi sui ibidè facti, non patiat vitâ excedere ipsum sine successore filio: nam triennio demùm post Manasses ei natus est, ut ex 2. Reg. 21. ver. 1. colligi potest. Sic quòd Nehemias ait cap. 5. v. 19. Recordare me, Deus mi, in bonum, quicquid fecerim erga populum istum & cap. 13. v. 22. Etiam hoc recordare mei Deus mi: sensum hunc habet q. d. nihil mihi apud homines hac narratione rerum à me gestarum, arrogo, cujus testis

est Deus : & multò minus apud Deum , cujus fidem & misericordiam imploro : fretus non meis factis , sed ejus bonitate , utcunq; mihi bene sim conscius. Hanc esse sententiam liquet manifestè ex eo , quod cap 13. v. 22. addit : *Et parce mihi pro multitudine benignitatis tue*. Sed concludimus hoc argumentum , statuimusque , fiduciam impetrandi ea quæ à Deo petimus , deposita omni proprij meriti cogitatione , sola Dei clementia subniti oportere.

*Octavum* petitionis secundæ argumentum ducit Propheta à summo fine exauditionis precum & exhibitionis beneficiorum Dei , cum ait , *Propter te , Deus mi , q. d. Non nobis Domine non nobis , sed nomini tuo da gloriam* Psal. 115. v. 1. *Exaltare supra caelos , ô Deus , super totam terram gloriâ tuâ* Psal. 57. v. 6. & 12. *Auxiliare nobis Deus salutis nostræ propter honorem nominis tui : & eripe nos , expiationemq; fac de peccatis nostris propter nomen tuum. Cur dictura essent istæ gentes , ubi nam est Deus istorum ?* Psal. 79. v. 9. 10. *Restitue nos in sede nostra & cultu tuo : ut cognoscant omnes populi , te , cui soli nomen est Jehova : excelsum esse supra universam terram* Psal. 83. v. 19. *Celebrent nomē tuum magnum & reverendum , sanctum esse* Psal. 99. v. 3. *Et nos populus tuus & grex pastus tui celebrabimus te in seculum , in quamq; generationem enarrabimus laudem tuam* Psal. 79. v. 13. Ex hoc argumento notandum primò , Omnium beneficiorum Dei finem ultimum esse , gloriam Dei. Secundò , nobis in precibus ad Deum solummodò ad gloriam Dei esse respiciendum : dicam aliquid amplius , nempe , gloriam Dei omnibus quæcunq; nobis charissima esse possint , etiam vitæ huic , imò etiam salutis nostræ æternæ esse anteponendam : quemadmodum Moses malebat *deleri de libro vitæ* , quàm gloriam Dei periclitari Exod. 32. v. 32. Quòd si gloriam Dei spectabimus , majore cum zelo , ardore & vehementia orabimus. Tertio quum in precibus ad gloriam Dei omnia sint dirigenda , etiam atque etiam videndum , quid à Deo petamus , ne gloriam Dei impuris nostris affectibus prætexamus , atque ita gloriâ Dei abutentes , ipsum ignominia afficiamus.

*Istæ sunt petitionis secundæ argumenta.*

Sed præter ea consideranda est petitionis vehementia , quam declarat Propheta *iniquorū* & anaphorâ. Instat enim petèdo aliis atq; aliis verbis : *Audi orationem servi tui & supplices preces illius & fac ut luceat facies tua super sanctuarium tuum desolatum : & mox ; Inclina , Deus mi , aurem tuam & audi ; aperi oculos tuos & vide desolationes nostras : Et mox ; Exaudi , condona , attende & effice , ne tardato*. Anaphora verò est in trina repetitione ejusdē nominis 378 , Domine , in principiis sententiarum , *Domine audi , Domine condona , Domine attende*. Observandum inde , preces ad Deum cum vehementia atque fervore conjunctas esse oportere : imò vehementia in progressu orationis augetur oportere : nec enim frigida vel tepida precatio esse debet. Cæterum vehementia ejus accendetur , si ex serio animi

animi affectu ac desiderio cordis proficiscetur. Qui perfunctoriè orât, cum Deo quasi ludunt.

Insuper duplex hîc occurrit *ἀροπία*: Una est: Quoniam instabat tempus quo Deus populum suum ex Babylonica captivitate liberaturus erat, quemadmodum promiserat per Ieremiam Prophetam: quæritur cur Daniel tam sollicitè & ardentius solito precibus apud Deum institerit? an hoc factum sit ex diffidentia, quasi Deus promissionem suam aliquoties impleturus non fuisset? *ἀροπία*. Nequaquam ex diffidentia id fecit, sed eo potius sinceritatem fidei suæ probavit. Nam qui certò persuasi sunt, Deum facturum esse, quicquid promissit; illi quânto propius adest tempus implendarum promissionû, tantò magis stimulantur ad precandum, tantò vehementius Deum orant. Fides non est otiosa aliqua speculatio vel nuda assensio, sed aliquid est magis serium in fide, videlicet fiducia accipiendi quæ Deus promissit. Sic igitur cognitio imminentis redètionis promissæ fuit Danieli acrior stimulus ad precandum.

Alter *ἀροπία* est: Rectè ne Daniel oraverit, ne Deus tardaret, quum sic & suscit Deo præscribere tempus præstandæ liberationis, ac non permisisse divine voluntati? *ἀροπία*. Rectè sic oravit, quia secundum voluntatem Dei oravit, non illam absconditam, sed revelatam: prædixerat enim Deus populi liberationem post annos septuaginta, & quia illi jam elapsi erant, non erat tardaturus Deus, sed impleturus quod dixerat, & quoniam intererat veritatis & gloriæ Dei, ut quàm primùm impleret, ideo Daniel oravit, ne tardaret.

*Verf. 20. 21.*

20. Et adhuc me loquente & orante, ac confitente peccatum meum & peccatum populi mei Israelis & prosternente supplicatione meam coram Iehova Deo meo, pro monte sancto Dei mei.

21. Adhuc inquam me loquente in oratione: & vir ille Gabriel, quem videram in visione illa in principio, iussus advolare [Vulgata Latina habet simpliciter, volans: similiter Græca, *πρὸς*]. Sed vox Hebræa *אָפֵּס* est participium passivum conjugationis Hiphil & exponi debet, iussus volare, aut factus volare] contentissimè [Hebr. *אָפֵּס* R. D. Kimchi in Michlôl dicit esse nomen cum præpositione coalescens, compositum ex *אָפֵּס* & *אָפֵּס*, sicut *אָפֵּס* in decore, ex *אָפֵּס* & *אָפֵּס*, ac si *אָפֵּס* esset aradice *אָפֵּס* significante defatigavit, lassum reddidit. Alij putant esse a *אָפֵּס*, hoc est, volavit, ut jod sit additum, sicut in *אָפֵּס*, substantia. Ergo *אָפֵּס* exponi potest, vel cum lassitudine, ita ut sit hyperbole pro festinantissimè, celerimè, alacriter, contentissimè, vel cum volatu, aut simpliciter volatu, prius malim] tangebatur me, sub tempus muneris [sacrificij, oblationis] vespertini.

Haecenus explicata est prima pars capituli noni, nimirum Oratio Danielis ad Deum: sequitur jam secunda, videlicet responsio Dei ad ora-

tionem Prophetæ, cujus responsi deinceps indicatur adjunctum tempus quo datum est, causa administra seu administer per quem datum, adjuncta præparatio Danielis ad illud religiosè & rectè percipiendum & deniq; materia aut substantia illius. Hæc quatuor ad finem usq; capituli cõtinentur. Initio igitur tempus dati responsi dupliciter circumscribitur: primò his verbis ex effectis Danielis: *Et adhuc me loquente & orante & confitente peccatum meum & peccatum populi mei: Israelis & prosterrente supplicationem meam coram Jehova Deo meo, pro monte sancto Dei mei, Adhuc inquam me loquente in oratione.* In hac temporis circumscriptione nihil temere est positum. Quatuor autem membris constat. Primum est, quum inquit, *Et adhuc;* indicat responsum sibi à Deo datum antequam orationem suam absolvisset: adhuc se precatum esse quum exauditus sit & fructum precum suarum perceperit. Ita complementum exhibuit Deus promissionis suæ Levit. 26. v. 40. & sequentib. Deut. 30. v. 1. & sequentib. Item Jerem. 24. v. 12. & sequentib. *Quum invocaveritis me ut abeamus, & oraveritis me; tum exaudiam vos: Et querentes me invenietis, quum requiesiveritis me ex toto corde vestro.* Item in oratione Salomonis 1. Reg. 8. v. 46. & sequentib. *Quum peccaverint in te (nam nemo est, qui non peccet) & iratus contra eos exposueris eos inimico; ita ut captivos abduxerint eos illi à quibus capti sunt, in terram inimici, longinquam aut propinquam: Si redierint in animum suum in ea terra ubi captivi detinebuntur, ut conversi deprecantur te in terra eorum, quorum sunt captivi, dicendo, peccavimus, perverse egimus, improbè fecimus: Et revertentur ad te ex toto corde suo & ex toto animo suo, in terra inimicorum suorum qui captivos detinebunt eos: & orabunt te viâ terræ suæ quam dedisti majoribus ipsorum, hujus civitatis quam elegisti & hujus domus, quâ edificavi nomini tuo: Tum exaudies è cælis, statione habitationis tuæ, orationem eorum & deprecationem eorum: ut peragas causam eorum: Ut condones populo tuo quæ peccaverint contra te & omnes defectiones eorum quibus defecerint à te: & concilies eis misericordiam coram captivos detinentibus eos, ut misereantur eorum (Populus enim tuus & possessio tua sunt, quos eduxisti ex Ægypto, è medio catino ferri) Oculis tuis apertis existentibus ad deprecationem servi tui & ad deprecationem populi tui Israelis; auscultando eis quandocunq; invocabunt te. Tu enim distinxisti eos tibi in possessionem ab omnibus populis terræ, quemadmodum locutus es per Moysen servum tuum, quum educeres majores nostros ex Ægypto, Domine Jehovi. Ausim confirmare, Salomonem per Spiritum ad hanc ipsam Danielis orationem respexisse: nam Daniel iisdem verbis & argumentis utitur, quib. Salomon fuit usus; non aliter ac si jam olim per Spiritum Dei præscripta fuisset formula confessionis & petitionis, quâ deinceps populus captivus in Babylone uteretur. Quod igitur statim Deus orationi Danielis annuit, eo promissionem suam olim factam complevit: quemadmodum in Prophetarum enarratione semper conferre convenit, promissionum complementum cum ipsis promissionibus in Lege Moysi & per Prophetas priores factis: Ut inde confirmemur de justitia, veritate & constantia Dei*

Dei in servandis promissis & animemur ad fiduciam cæterarum quoq; promissionum. Hinc etiam intelligimus, orationem justii ex vera fide profectam & cum seria respicientia conjunctam non esse irritam, sed multum valere, ut Iacobus Apostolus docet cap. 5. v. 16. & statim à Deo exaudiri, velut testatur Iesaias cap. 30. v. 19. *Omnino gratiã faciet tibi ad vocem clamoris tui; simul ac audivit, exaudiet te.* Et cap. 65. v. 24. *Eritq; nondum clamantibus ut ego respondeam: adhuc ipsis loquentibus, ut ego exaudiam.* Istud exemplo suo demonstrat Propheta Daniel hoc loco, & Nehemias cap. 1. & 2. & Ionas cap. 2. v. 2. *Inclamaui: ex angustia mea Jehovaham & ex audivi me: è ventre sepulcri vociferatus sum, exaudivisti vocem meam.* Ita propinquus est Jehovaha omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide. *Placitum timentium se efficit & vociferationem eorum audiens salutem dat eis.* Psal. 145. vers. 18. & 19.

Secundò dicit, *me loquente & orante.* Ergo Daniel orans, cum Deo loquebatur. Unde discimus, precationem ad Deum esse colloquium cum Deo. Hoc ipsum nos ad precandum animare debet. Beatos illos censemus ex subditis, quibus interdum datur facultas alloquendi, licet breviter, Principem, Regem, aut Imperatorem aliquem: at longè sunt beatiore, qui quotidie potestatem habent loquendi cum Deo, omnium Principum, Regum & Imperatorum Domino, & quidem prolixè loquendi. Quum igitur tam clementer audientia à Deo nobis præbeatur, accedamus cum fiducia ad thronum ejus & loquamur ei, jam confitendo peccata, jam favorem implorando, jam gratias agendo. Dicit Propheta, *me loquente & orante:* ergo non solo tantum affectu, non secreta tantum cordis meditatione fuit precatus, sed etiã ore & lingua. Nam zelus vehemens etiam in tacita precum in corde conceptione impellit sanctos, ut in verba prorumpant. Deinde cum omnes naturã simus socordes & frigidi in precibus, opus est ut omnibus modis excitemur atque accendamus, genuum inflexione, manuum & oculorum elevatione, clara precum pronunciatione, quò externi gestus & lingua animum adjuvent. Unde observandum, quibus externis adminiculis nos ad fervorem precandi provocare debeamus.

Tertiò Propheta in hac prima temporis circumscriptione repetit summam habitæ orationis, cum ait: *me confitente peccatum meum & peccatum populi mei Israelis & prosterne supplicationem meam coram Iehova Deo meo, pro monte sancto Dei mei.* Ostendit igitur, duas orationis sue fuisse partes, Confessionem & supplicationem. Confessionem, quã confessus sit peccata, & quod *αὐτῶν* simul intelligendum, Dei iustitiam in castigandis peccatis. In confessione peccatorum notandum quod dicit: *me confitente peccatum meum.* Insignis est hîc locus & diligenter observandus. Nam ne quis putet, Daniele in confessione peccatorum, non de omnibus loqui, sed de multis solummodo, Synecdoche quadam (sicut Origenes corrumpit confessionem Danielis) ac propterea se, ut Prophetam

& iustum aliosque sanctos Dei servos excepisse: nominatim dicit, me confitente peccatum meum. Fatetur itaque se quoque peccatorem esse, se etiam promeritum captivitatem. Neque verò obliqua figura, ut fieri solet, quasi unus è populo se turbæ permiscet, quin potius seorsum reatum fatetur, supplexque ad veniæ asyllum confugit. Dixi hunc locum Prophetæ observandum. Nam Daniel Dei ipsius testimonio ornatus fuit & in tribus iustissimis qui fuerunt ab initio mundi numeratus, cum dixit Ezech. 14. v. 14. Etiam si essent hi tres viri in ea, Noach, Daniel, Job: ipsi cum iustitia sua eriperent se ipsos, dictum Domini Jehovi: tamen ipsemet fatetur, se esse peccatorem coram Deo, nullamque se propriam iustitiam habere, sed in mera Dei misericordia spem suam fundatam esse testatur. O humilitatem ingentem! ô submissionem animi insignem! Qui exemplar angelicæ iustitiæ erat, quem Deus ipse præclaro elogio commendaverat ac si absque ullo vitio esset, ipsemet ultrò prodit in medium & peccatum suum confitetur. Neque etiam existimandum est, Daniele quodam simulatione & humilitate ficta peccata sua confessum. Non enim huius sceleris gravissimi ignominia conferenda in eum, quem tantopore Deus commendat, hypocritas abominans: qui meminerat se coram Deo loqui omnis mendacij hoste: quia jejuniis, cilicio & cinere & tam querulis flebilibusque precibus satis testatus est se rem seriam agere: qui probè tenebat, hoc ipso se nihil à Deo impetraturum, si humilitatem verbis præ se ferret, corde autem tumidus esset atque superbus. Unde colligimus, nullum hominem in terris, quantumvis sanctissimum, quantumvis Noacho, Danieli & Jobo parem, ab omni labe immunem esse: ac proinde turpiter errasse gratiæ Dei in Christo, inimicos Donatistas & Pelagianos, qui contendebat filios Dei in hac vita oportere esse perfectos quasi omni vitio carere in hac vita possent. Ideo hic locus sæpe ab Augustino adversus Pelagianos est usurpatus Tomo 7. lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 12. lib. 2. contra literas Petilianii cap. 105. Libro de Ecclesiæ unitate cap. 14. Et lib. 2. de peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos cap. 7. Hinc patet, errare hodie etiam Anabaptistas, qui Donatistarum & Pelagianorum hæresim renovarunt ac perfectionem in hac vita somniant, qualis nequam esse potest. Eandem hæresim retinent Monachi, qui de perfectione sua & sui ordinis hominum mendaciter gloriantur & sub prætextu perfectionis, quos possunt, ad monasticam vitam alliciunt.

Præterea in hac confessione peccatorum observandus est ordo, quem Propheta se dicit tenuisse. Indicat enim se primò sua peccata confessum, deinde populi sui Israelis. Itaque prius sensu peccatorum suorum priorum est tactus, quam populi sui, & proinde testatus, se sibi & populo calamitatem exsilij Babylonici fuisse promeritum. Hoc facit ad refellendos Papistas, qui dicunt, sanctos, quos vocant, sibi & aliis salutem & alia bona meritos: ideo in Breviariis suis orant in Collectis, quas vocant,

cant, sanctorum meritis adjuvari & à peccatis omnibus & periculis liberari, dona gratiæ Dei consequi & ad æternæ vitæ beatitudinem pervenire. Sed audiant Danielelem, in sanctorum albo non postremum, plane contrarium confitentem, nempe se peccatis suis, com meritum & sibi & aliis captivitatem Babylonicam. Firmiter itaque tenendum, neminem unquam sanctorum quicquam meritum esse apud Deum, nisi mortem & damnationem, ut sit locus soli merito Domini nostri Jesu Christi, quod extenuatur & rejicitur cum ei aliorum merita copulantur. Facit hic locus etiam ad institutionem tum in privatis, tum in publicis calamitatibus. Ergo cum privatis calamitatibus premimur, non tantum de illis conqueramur, sed etiam de nostris peccatis, quibus calamitates illas sumus promeriti; quemadmodum Daniel hic de peccatis suis conquestus est; coram Deo confessus est. Plurimi cum egestate vel morbis laborant, nihil aliud norunt, quam de miseris, de egestate sua, de morbis conqueri: de peccatis suis quibus iram Dei provocarunt, & miseras, egestatem & morbos sibi accersiverunt, nunquam vel admodum raro cogitant. Id in primis in mendicantibus observatur, & aliis qui mendicantium ingenio sunt præditi:

In publicis etiam calamitatibus, unusquisque nostrum causam illarum non extra se querat, ut facere solent hypocritæ qui omni culpa vacare volunt & aliorum solummodo delicta inculant: sed in seipso, causam illam investiget, quam reperiet: & si ingenuus est, fatebitur, sua sua, inquam, peccata non levem communium afflictionum causam esse: atque à suis peccatis demum ad aliena cognoscenda atque confitenda se convertet, quemadmodum Daniel fecit, qui sua peccata prius dixit, & postea populi sui: *Et hanc Dei commendat justitiam, & hanc Dei laudem dicit, quia non injuste, sed pro peccatis eorum flagellat etiam ipsos sanctos suos. Si ergo ista dicunt qui excellentissima sanctitate ignes & leones circa se innoxios habuerunt, quid nos oportet dicere in humilitate nostra, qui tam longè illis impares sumus, quantum a cunctis justitiam servare videamur?* Augustin. tomo 2. epist. 122.

*Hactenus de repetitione confessionis Propheta.*

Deinde repetit itidem petitionem, atque ait: *& prosternente me supplicationem meam coram Jehova Deo meo, pro monte sancto Dei mei.* Prostravit supplices suas preces coram Jehova Deo suo, quia cum vera cordis demissione conjunctæ fuerunt. Hoc est insigne exemplum humilitatis: Daniel nobilissimo genere ortus, sapientia tanta ornatus, ut Spiritus Sancti encomio sit celebrata Ezech. 28. v. 3. peritiâ interpretandi somnia & dono vaticinandi præditus, justitiâ tam excellenti, ut ejus testimonium ab ipso Deo reportarit Ezech. 14 v. 14 20. Et tamen neutiquam elato animo fuit, verum serio coram Deo se abjecit. Hoc exemplum & nos ad humilitatem incitare debet, cum semper, tum vel maxime in precibus. Porro notandum est subjectum pro quo oravit: nempe, *pro monte*

te sancto Dei sui, hoc est, pro templo, pro Ecclesia, non tantum Hierosolymitana, sed etiam Christiana. Sic enim preces Prophetę sunt accipiendę, ut intelligatur non tantum pro templo Hierosolymitano; sed etiam pro Ecclesia Christiana orasse, cujus typus illud erat. Nam non substituit in typo, sed spiritu ad typi veritatem respexit. Videmus, quid piis maximę curę sit, nempe Ecclesia Christi: de illa sunt solliciti, pro illa ardentissimę orant. Ita Theodosius Magnus Imperator ex morbo lethali decumbens, magis de Ecclesia, quęm de se agebatur. Quid igitur de iis sentiendum, qui de se suisq; solummodo fortunis, redditibus, honoribus, commodisq; solliciti, parum pensi habent quid de Ecclesia Dei fiat? Nos exemplum imitantes Danielis, nūquam Ecclesię Christi curam deponamus; nūquam precemur, quin pro illa simul oremus. In prosperitate Ecclesię, nostra quoq; erit. Nulla calamitas nostra quantumvis gravissimę nos premens tam cordi nobis esse debet, quęm Ecclesię. Hęc unicuiq; perpendendum quęm tristis hoc sit tempore status Ecclesię Christianę, sive intus eam spectemus, sive foris.

IN TVS omnia indies in pejus ruūt: omnia fluctuant & incerta sunt: omnia quasi acerbissimis paroxysmis corripuntur, sive ministros Ecclesię quis spectet, sive gregem. Nam quod ad ministros attinet, si qui bona fide & conscientiā faciunt officiū in doctrina, in vitiorum reprehensione, in disciplinę Christianę assertionē; non solum ab iis qui iuste reprehensi sunt odio habentur, calumniis & conviciis proscinduntur, detrimentis afficiuntur, sed etiam a propriis collegis exagitantur, vexantur, molestantur. Quin attollunt calcem adversus ipsos qui commederunt panem ipsorum: sunt ipsorum censores inimicissimi, qui discipuli esse debebant. Aliqui quasi nulli forent hostes foris, quibuscum assidue pugnandum esset; intestinas moliuntur dissensiones vel irā, livore, odio accensi: vel avaritiā & ambitione impulsī. Doctrinam veram rectę traditā & adversus hostes defensam solidę ab antecessoribus; sugillant, cavillantur, censuris suis suspectam reddunt, semper veritatem quęrentes, nunquam inveniētes: semper nova dogmata parturiunt, quasi pertęsi veteris doctrinę, qui tanta eruditionis opinione turgent, ut soli sapere videantur, reliqui velut umbra vagentur: quibus nemo satis doctus est, quibus nemo satisfacit, ut soli doctissimi habentur: qui non Christo, sed sibi discipulos quęrunt. Hinc tot schismata, tot hęreses Ecclesiam invaserunt, quibus tanquā pondere aliquo ferę opprimitur. Alij malunt Lutherani esse potiūs, quęm Christiani. Qui religionis Evangelicę antistites videri volunt, quid libroŭ in publicum dant? quid proferunt? Dicere me pudet, ipsa etiam cogitatio horrorem incutit. Furias veriūs quęm homines, plerōsq; esse dicas. Horum consilia atque instituta quę sunt Epicuręis quibusdam ac pietatis hostibus gratiora, tantō sunt bonis acerbiora atque molestiora. Ut illis risum movent: ita istis quid nisi gemitus & suspiria possunt excutere?

O Domine

O Domine Jesu, qui Ecclesiæ veritatisq; tuæ propugnatores esse debebant, ij ad subvertendum eam quasi conspirarunt. Quod ad gregem Ecclesiasticum attinet; is, quasi vetus doctrina satietatem ei peperisset, novi aliquid requirit, quemadmodum Israelitæ in deserto, tædio capti Mannæ quæ de cælo dabatur, ollas Ægyptiacas desiderabant: Disciplina Ecclesiasticæ est impatiens, in omne luxuriæ vitiorumq; genus effusus: fidorum pastorû monita ferre amplius nec vult nec potest, jugum Christi facile, factum est difficillimum, onus Christi leve, factum est gravissimum, quasi fatalis quædam religionis conversio instaret. FORIS hostes sunt exacerbatisimi, potentissimi, callidissimi, plurimumque metuendi, qui & arte & Marte, occultè & palàm pios oppugnant. Jesuitæ atq; alij hyperaspistæ idololatriæ Antichristianæ, quoniam plerorumq; Evangelicam religionem profitentium vel inscitiam vel in fide tepiditatem aut potiùs frigiditatem animadvertunt, ubiq; disputaturiunt, ad colloquia ac disceptationes audacter & intrepidè provocant, obvios quosq; ad collationes, seu potiùs andabatissimos rapiunt: multos qui non sunt exercitati, pictis fucatisq; sophisinatibus decipiunt & seducunt, meltos dubios & suspensos reddunt: ingerunt se in aulas, respublicas & Ecclesias alienas fictâ amicitia, simulatâ sanctitate, excellentis doctrinæ opinione. A potentioribus verò patiuntur pij persecutiones, exilia bonorum honorumque ereptiones, carceres, cruciatus, mortes deniq;. Integri cætus in quibus rectè Deus colebatur, disturbantur, disjiciuntur: pij verò dissipantur. Hem tristissimum Ecclesiæ statum! Orandum est igitur pro Ecclesia: orandû pro monte sancto Dei nostri. Movere nos magis debent publicæ calamitates Ecclesiæ, quàm privatæ nostræ ærumnæ.

*Hucusq; perpendimus tertium membrum in prima temporis circumscriptione.*

Quartum est repetitio primi *nar in abodov*: *Adhuc inquam me loquente in oratione.* Ideo autem hæc verba repetit, ut evidentiùs certitudinem subitæ exauditionis intimaret. q. d. planè ita res habet, ut dixi: nondum finiveram preces, cùm exauditus sum, cùm Deus Gabrielem ad me misit. Invoceamus igitur & nos Deum cum fiducia ac probè nobis imprimamus; Quemadmodum Danielis preces statim atque oravit exauditæ sunt, ita nostras etiam exauditum iri. Sed occurrit hîc tentatio gravissima, quæ piis multum negocij faceffere solet. Cogitant enim ac dicunt: Inclamo Deum dies atque noctes, sed non videtur meas preces exaudire: nam miseria ac sollicitudo mea non solùm perseverat, sed etiam singulis propè horis ingravescit: Exemplum est Psal 77 v. 2. & sequentib. Quomodo hæc tam gravis tentatio depellenda? Quicumq; cum hac tentatione conflictaris, scito; Deum precibus tuis, statim ac concipere eas ex vera fide cepisti, annuisse: suo autem tempore quod

definit, factò ipso declaraturù quòd annuerit: ut Danieli fecit. Neque enim dubium est, quin Daniel per annos illos septuaginta quibus Babylone exsul vixit Ecclesia Judaica, sepiùs pro ejus restitutione oraverit: donec tandem finito annorum spacio captivitatì constituto, in longè ardentiores, quàm unquam antea preces erumpens, se exauditum cognovit. Quemadmodum autem quò magis aucta fuit diuturnitas exsilij Israelitarum, quò magis crevit sub impio rege Belschazare illorum calamitas, eò ardentior factus est Daniel ad precandum, atque eò propinquior fuit liberatio: ita tu quò longiùs calamitas tua protrahitur, quò magis malum tuum ingravescit, eò sis excitator ad prosterendum supplicationem tuam coram Jehova Deo tuo, cùm tantò vicinior sit tua redemptio. Simile exemplum est in Israelitis in Ægypto servientibus: cùm duplicarentur lateres, venit Moses, populi liberator.

Dictum est de prima circùscriptione temporis, quò responsum Danieli à Deo datum: secundo circumscribitur ex subjecto, his verbis: *Sub tempus muneris vespertini*, hoc est, post horam diei nonam, quò tempore vespertinum sacrificium jure ex mandato Dei, Exod. 29. v. 38. & sequentibus apud Judæos offerebatur: nobis est tertia pomeridiana. Sub hoc ipsum tempus muneris vespertini precante Elja in concilio illo magno Ecclesiæ Israeliticæ in monte Carmeli habito adversus Baalitas, deciderat ignis Jehovæ è cælo & consumserat holocaustum Eljæ & ligna & lapides, & pulverem ipsum: etiam aquam, quæ erat in aquæ ductu, delinxerat. 1. Reg. 18. v. 36. Ita sub tempus offerendi munus editum est miraculum illud in valle Moabitarum, quòd prædixerat Elisæus: cùm ventus non sentiretur, neq; pluvia ulla videretur, & tamen aqua venit à via Edomæa atq; in valle in qua rex Josaphatus, rex Israelitarum & rex Edomæorum cum exercitibus erant & siti intolerabili premebantur, fossas multas jussu Elisæi factas, implevit, unde homines, pecora atque jumenta sunt refecta, victorià adversus Moabitas sequente. 2. Reg. 3. v. 16. & sequentibus. Hinc duplex documentum istud petendum: primum est, Deum ideo testatam fecisse exauditionem precum atque admiranda opera edidisse temporibus illis, quæ cultui divino exercendo consecrata fuerant: ut inde discamus quanti sit faciendum cultus divini exercitium & quanto cum zelo ad publicas Ecclesiæ preces temporibus ad illas destinatis convolandum. Semper quidem exaudit Deus, quocunq; in loco & quocunq; tempore precemur: evidentior tamen est gratia Dei in publico cœtu multorum fidelium in nomine Christi congregatorum, qui velut manu facta ad Deum accedunt & coram throno ipsius supplices se prosternunt. Si duo tantum verè fideles uno consensu petierint aliquid Deus eos exaudiet: sicut Christus promittit Matth. 18. ver. 19. 20. *Dico vobis, si duo ex vobis consenserint in terra de omni re quam petierint, fiet eis à Patre meo qui in cælo est: Ubi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Multo magis, cùm stas

statis temporibus plurimi fideles conveniunt, si preces ad Deum fuderint, exaudientur. Hoc primum est documentum, ut temporibus ad publicas preces deputatis, libenter unâ cum Ecclesiâ vota nostra jungamus. Secundum documentum hoc est, ut quemadmodum Daniel, licet totos septuaginta annos in exilio fuisset, licet toto illo tempore nullum sacrificium offerri vidisset, tamen non fuit oblitus cultus divini, & ceremoniarum à Deo mandarum, sed de iis perpetuò cogitavit, ac si quotidie ad templum Jehovæ accederet atque oblationi muneris matutini & vespertini, quod iuge sacrificium dicebatur, interesset, magnum autem fructum vel ex illa cogitatione est cõsequutus: ut, inquam, & nos quoties vel morbo præpediti vel exilio remoti, vel carcere interclusi, vel vi majore prohibiti externo veræ religionis exercitio, auscultationi prædicationis verbi Dei, celebrationi Sacramentorû Christi, publicis fidelium precibus non datur interesse, tamé non ideo memoriam istorum abjiciamus, sed de iis quotidie cogitemus ac sanctis suspiriis piorum cœtui adesse desideremus: ac illis præsertim temporibus & horis cultus divini ex vera fide recordemur, quibus illum exerceri scimus, ut spiritu, animo, affectu piorû cœtui præsentem simus, in quo non licet corporibus adesse: & cum externo cultu unâ cum aliis frui integrum non sit, saltem apud animum reputemus, ad quem finem Deus eum nobis præceperit, & quem inde fructum nos percipere velit. Qui tali affectu & desiderio de externo religionis exercitio cogitabit: is procul dubio fructum & gratiam externis ceremoniis significatam consequetur. Qui verò prædicatione verbi, usu Sacramentorum & publica invocatione Dei privatus, nullo interea illius desiderio tenetur, sed cõsuetudine carendi obducto callo nihil curat: is profectò simul cum externo ministerio privetur necesse est interno ejus fructu & gratia Dei. Sæpius cum magno animi dolore cogito de fidelibus, qui sunt in Austria, & intemperie Flacianorum qui seditiosas perpetuò conciones habebant, publico religionis exercitio sunt privati. O quanto illi ejus desiderio tenentur! Ante annos aliquot Viennæ Austriæ cives Evangelici cum uxoribus & liberis per triduum ante arcem Cæsaream genibus insidentes Archiduci Ernesto Imperatoris hodierni fratri supplicarunt & flebili voce exercitium religionis sibi concedi multisq; profusis lacrymis petiverunt: Sed partim Iesuitarum interpellatione & calumniis onerati, partim concionatorum quos antea habuerant intemperie prægravati, repulsam sunt passi.

Hucusque perpendimus tempus quo Danieli responsum à Deo datum: deinceps indicatur causa administra seu administer, per quem sit datum: nimirum per GABRIELEM. Ille est Angelus, cujus ministerio Deus usus est in mysteriis de Christo prædicendis, tum supra cap. 8. v. 15. tum hoc loco. Eundem misit ad zachariam sacerdotem, ut ei lætium nuncium afferret de filio ipsi nascituro, qui præcursor Messiæ fu-

curus & Domino populum instructum paraturus erat. Luc. i. v. 11. & sequentibus. Eundem misit Nazaretham ad virginem Mariam, ut ei nunciaret, Messiam ex ipsa nasciturum Luc. i. v. 26. Cæterum describit Prophetâ Gabrielem primò similitudine, dum nominat *virum*, quia præ se ferebat formam hominis. Idcirco autem Deus Angelum visibili forma à Daniele conspici voluit, ut Daniel eò fieret certior, conspecta illa dignitate Angelica, se non falso, ac ne quidem humano modo, sed verè caelesti atque divino sequens vaticinium percepisse; quod non mediocre est ad confirmationem piorum argumentum.

*Deinde duobus adjunctis*: quorum unum est, quòd *Viderit ipsum in visione principio*, nimirum in visione arietis bicornis & hirci, quæ visio descripta est cap. 8. Ita probè retinuit memoriâ Daniel & quam à Deo institutionem acceperat, & per quem: Idq; faciebat ad ipsum confirmandum de veritate responsi quod erat accepturus: cum illud allaturus esset is, quem jam certò norat Prophetâ, esse fidum Dei ministrum, utpote à quo etiam antea de rebus certissimis esset instructus. Unde admonemur, ne obliviscamur institutionis sanctæ in mysteriis salutis, utque semper meminerimus, quorû operâ Deus in nobis erudiendis sit usus, ut eorum institutioni in posterû etiam fidamus. Hoc ipsum tradit Paulus Timotheo 2. Tim. 3. v. 14. *At tu maneto in iis que didicisti & que tibi credita sunt, sciens à quo didiceris*. Plurimum enim interest à quo doctrinâ religionis quis discat, cum multi pseudoprophetæ venerint in mundum. Secundum adjunctû Gabrielis est, quòd *jussus sit advolare*: nempe à Deo. Pertinebat & hoc ad fidè faciendâ Prophetæ de veritate responsi quod Gabriel erat allaturus: quia nò sine expresso Dei jussu advolarit. Plus enim fidei illi habemus, quem scimus, Dei jussu ad nos venisse. Unde admonemur, ne cuiquam aurem accommodemus, nisi quem sciverimus Dei jussu & nomine nobis loqui.

*Tertiò* describit Gabrielem ab effectu, quòd *advolarit*: atque ita obsequium jussis Domini ut minister fidus præstiterit. Hoc amplificat ab adjuncto, quòd *advolaverit contentissime*, summa celeritate; quo promittudo Angeli in obeundis jussis indicatur.

*Unde hæc de Angelis documenta deducimus:*

1. Angelorum ministerio Deum uti dignari ad beneficia sua inter homines dispensanda: quemadmodum usus est ministerio Gabrielis ad patefaciendas Danieli res arcanas.
2. Angelos humanâ formâ fidelibus apparuisse: unde viri dicuntur.
3. Eos nihil facere, nisi expresso Dei jussu.
4. Jussa Dei summâ promptitudine facere: ideo *volare* dicuntur *cōtēnissimè* & ut vox Hebræa sonat, *cum defatigatione*; ne dubitemus incredibili celeritate semper ad auxilium nobis ferendum præsentés fore, si-  
mul

aut ac res tulerit; ac si fulgur è cælo emissum, quâ solet pernicitate, ad nos volaret.

*De administro responsi divini egimus: sequitur de præparatione Danielis ad ritè suscipiendum responsum.*

Præparatus fuit à Deo per Angelum Gabrielem dupliciter, *facto & sermone.* Facto, cum ipsum Angelus tetigit. Tactus iste externus fuit signum tactus interni, seu divinæ operationis quâ Deus cor Danielis tetigit, ut aperiret ad capiendum arcanum, quod mox erat revelandum. Tactus hoc simul Daniele excavit & corroboravit. Sermo autem quo Daniel præparatus fuit ad audiendum divinum responsum, continetur

*Vers. 22. & 23. his verbis.*

22. Et docuit [subintelligendum, me. Hebr. ad verbum, & fecit intelligere] & locutus est mecum: & dixit; Daniel, nunc egressus sum ad imbuendum te intelligentiâ [Hebr. ad verbum, ut intelligere facerem te intelligentiam. Vulgata Latina sensum expressit, ut docerem te & intelligeres. Græca, οὐκ ἐβόησεν οὐκ.]

23. In principio deprecationum tuarum, egressum est (vel, prodiit) verbum, & ego veni ut indicare, quoniam desideratissimus es [Vulgata Latina, quia vir desideriorum es. Similiter Græca, ἄνθρωπος ἐπιθυμητός. Hebraicè ad verbum, quoniam desideriorum es: per ellipsim nominis substantivi שׂוֹאֵל. A Rabbi D. Kimchi in libro radicum exponitur, vir habens gradus magnos, aut dignitates, excellentias & virtutes bonas. Malè legit תְּמוּנָה pro תְּמוּנָה. Illud significat virtutes, mores, conditiones: hoc autem, desideria. Sunt qui putent, Daniele virum desideriorum dici, quod, si quis unquam prophetarum alius, ardentissimè liberationem populi sui, templi, cultus divini & Ierosolymorum restitutionem desideraverit, quemadmodum ex precibus ejus ad Deum fufis & postea jejuniij afflictione cap. decimo, videre fit.] Quapropter animadvertite ipsum verbum, intellige visionem istam.

Hoc igitur sermone, qui loco præmij est, comparat Angelus Prophetam ad rectè & attentè percipiendum responsum divinum. Duo autem agit: primò exponit causas sui adventus: secundò hortatur Daniele ad accuratam attentionem. Causas adventus sui duas commemorat, finem nimirum & causam impellentem. Finem dicit esse, ut ipsum imbueret intelligentia. Cum se egressum ait, ἀποβῶν ἀβῶς loquitur: non enim recessit à facie Dei qui est ubique, & coram quo semper sunt Angeli, sed Danielis causâ è cælo missus fuit, ut eum doceret. Causam verò impellentem dicit esse, quod verbum egressum fuerit in principio precum Da-

*nielis*, hoc est, quòd promulgatio decreti divini de futuro Ecclesiæ statu facta sit in cælo statim ac Daniel preces suas effundere cepisset: ipsique mandatum ut contentissimè volaret ad indicandum illud Danieli. Ita ostendit ei, non fuisse vanam ejus deprecationem pro Ecclesia, sed statim in principio fuisse exauditum. Adjungit tum promulgationis istius, in cælo factæ, tum legationis suæ rationè, sumtam ab adjuncto Danielis, quoniam sit *desideratissimus*, hoc est, Deo acceptissimus. Hæc ratione solatur Daniele, qui dubio omni procul toto tempore captivitatis suæ & populi sui, inter continuos gemitus mœrore quasi confectus fuerat, & inclamare Jehovam non destiterat, & tamè nondum senserat, se aliquid operæpretium fecisse. Poterat igitur in mentem ei venire, quòd frustra toties & tam assidue precatus esset: poterat cogitare, se in nulla apud Deum gratia esse, Deum sibi irasci & nunquam exoratum iri. Huic tentationi Angelus occurrit, cum testatur, eum *virum desideriorum*, hoc est, charum atque gratum Deo esse, quamvis nondum esset adeptus quod optabat, & quod hæctenus sæpius rogaverat. Qui verba hæc, quia *vir desideriorum es*, ita exponunt ac si dictum foret, quia pro desiderio tuo Dei secreta audire merearis & esse conscius futurorum: ij vim phrasæ Hebrææ non attendunt. Neque verò hinc meritum hominum extundi potest: sed *vir desideriorum* dicitur, quòd desiderabilis, amabilisq; Deo fuerit: sicut Gen. 27. v. 15. Rebecca dicit tulisse vestes Esau filij sui majoris, *vestes*, inquam, *desideriorum*, hoc est, desiderabiles, optimas: Sicut ait Daniel infra cap. 10. v. 3. se *panem desideriorum* non comedisse: sicut 2. Chron. 20. v. 25. *vestes & vasa desideriorum* appellantur, h. e. hominibus chara atque accepta. Melior est prior Nicolai Lyrani expositio, quâ virum desideriorum exponit, *Deo amabilem*: nam posterior quâ exponit activè, *desiderantem scire secreta divina ad Dei laudem & populi liberationem*, & coacta est & præter usum linguæ sanctæ.

*Hæc igitur prima est proæmij pars.*

In secunda proæmij parte, hortatur Angelus Daniele, ut majore studio applicet animû suum & omnes sensus excitet ad intelligentiam vaticinij revelandi: *Quapropter* (inquit) *animadverti ipsum verbum*. Reperit autem hortationem, cum adjicit: *Et intellige visionem istam*: quia vaticinium erat singulare extraordinarium, quoniam erat magnum & altum arcanum ipsi patefaciendû: Proinde opus erat attentione majore.

*Habemus sensum: videamus jam usum.*

Notanda sunt primùm quædam de Angelis documenta:

1. Angelos magno duci studio hominibus ministrandi ad promovendam ipsorum salutem: sicut Gabriel Danielis causâ venit, eumq; tactu confortavit & sermone confirmavit, de secreto deniq; admirando edocuit. Hoc nos soletur, ut sciamus, nobis quoq; Angelos sanctos ad-

esse

esse & ministrare ad provehendam nostram beatitatem. Quin excitet etiam nos exemplum electorum Angelorum, ut quemadmodum ipsi nobis promptissimè inserviunt: ita & nos proximo nostro libenter & ex animo operam navemus ad salutem ipsorum, quantum in nobis est, procurandam. Qui in aliorum hominum salute promovenda assiduus est, dubitare non debet, sibi quoque ab Angelis Dei ministeria salutaria præstari. Qui verò aliorum salutem nihili facit, sciat verendum esse, ut nec sanctis Angelis ipsius salus sit curæ.

2. Angelos quidem semper videre faciem Patris nostri cælestis, sicut ait Christus Matth. 18. v. 10. de Angelis puerorum, ac proinde nunquam ab illa recedere: dici tamen ab illa egredi, nostrâ causâ, ut intelligamus eos tanquam satellites & servos Dei esse, qui ab ipso velut Principe suo ac Domino ad nos ablegantur. Quantum hoc sit Dei beneficiû, quod Angelos suos ad nos mittit, qui curam nostri gerant, verbis exprimi nequit. Nostrum est illud agnoscere, Deo gratias pro illo agere & sollicitè cavere, ne ingratitude adversus Deum, vel impuritate, aliisq; vitiis tam fidos ministros, nostriq; tam studiosos vel tristitiâ afficiamus, vel planè à nobis propellamus.

*Secundò* notanda aliquot documenta de precatione ad Deum:

1. Precationem ex vera fide in Christum profectam certissimè à Deo exaudiri. Testatur id exemplum Danielis, cujus precatio statim in ejus initio exaudita fuit. Ita neutiquam nobis dubitandum, quin & nostras preces Deus statim ac illas corâ eo effundimus, exaudiat: sed præstationem eorum quæ postulamus facit eo tēpore quod ab æterno destinavit. Neque verò Daniel illicò vidit populi liberationem & in patriam reductionem; quin mortuus est ipse in exilio: Sed satis fuit ei, quòd sciret, Deum votis suis annuisse & suo tempore facturum quæ promiserat.

2. Precationem nostram Deo acceptam esse, si nos sumus viri desideriorum, hoc est, accepti Deo propter Mediatorem. Nostris enim precibus non aliter favor Dei conciliatur, nisi ubi antea nos suo favore est complexus. Hoc observandum contra Papistas, qui putant, hominem per & propter opera sua bonâ Deo gratum fieri. Atqui Daniel non est factus vir desideriorum, quòd precatus esset: sed potiùs preces ejus statim exauditæ, quia vir desideriorum erat. Ergo preces nostræ nullius sunt valoris apud Deum, nisi priùs ei per Christum sumus reconciliati, nisi nos priùs ei placeamus.

*Tertiò* observanda hęc insignis consolatio. Pij in afflictionibus constituti, videntur sibi interdum planè negligi à Deo, & nulla in gratia apud ipsum esse: cum tamen Deo sint curæ, cum sint viri desideriorum, hoc est, Deo accepti atque grati. Docet hoc exemplum Danielis, qui in triste exilium abductus, poterat existimare se Deum iratissimum habere & inimicum: attamen erat etiam in exilio vir desideriorum, & preces

ejus à Domino audiebantur. Hoc exemplum est inculcandum iis, qui calamitatum diuturnitate adducti putant se à Deo desertos, se ei odio esse. Nam si fidelis es, etiamsi res carni acerbissimas patiaris, tamen vir desideriorum manes: magis quæ te erigere debet, quod in favore sis apud Deum; quàm deprimere, quod res adversas patiaris. Potius spectandus est favor Dei, quàm gravitas afflictionis.

*Quartò* observandum ex hoc loco. Si Danieli dictum fuit ut attentus esset ad verbum & intelligeret visionem: quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiae tenebris & caligine multa sunt obæcati? Et sine controversia, vaticinium de septuaginta septimanis per Gabrielem Danieli annunciatum, magnum est pietatis mysterium, in quod Angeli ipsi introspicere desiderant, in cujus contemplatione ne ipsi quidem Angeli sibi satisfaciunt. Est arcanum hoc difficile & abstrusum, ut nequeat illud assequi, nisi quem Deus ipse ad intelligendum præpararit. Quot inspexi interpretes cum Theologos, tum Chronologos, totidem prope diversas sententias reperi, totidem discrepantes Chronologiæ epilogismos. Multum & ipse posui temporis, multò plus adhibui laboris in legendis vetustis & recentibus autoribus, Theologis & Chronologis, in perlustrandis antiquis historicis, qui etiam ante Alexandrum Magnum vixerunt scripseruntque, quotquot eorum mihi potuit copia fieri, miscui laboribus assiduas humilesque ad Deum preces, ut ipse qui hoc arcanum per Angelum Gabrielem Danieli & Ecclesiæ prisca patefecisset, mihi etiam atque adeo Ecclesiæ suæ Christianæ verum ejus ac genuinum sensum atque usum per Sancti sui Spiritus efficaciam & operationem declararet ad divinæ suæ gratiæ gloriam & Ecclesiæ ædificationem, idque propter se, propter Dominum.

*Vers. 24.*

Septimanæ septuaginta docisæ sunt [ *Hebr. ad verbum, decisum est: impersonaliter: Sicut & Germanicè diceretur, siebenzig wochen ist abgeschritten oder bestimmet. Vulgata Latina habet, abbreviata sunt: Valde improprie, quod etiam Nicolaus Lyranus notavit. Græca melius habet, σπειρωθῶσαν.* ] super populum tuum & super civitatem sanctam tuam [ *Hebr. sanctitatis tuæ* ] cohibendo defectionem [ *Vulgata Latina, ut consummetur pravaricatio. Sic Græca, τὸ σπειρωθῶσαν ἀμαρτίαν. At qui differunt אָרָב & אָרָב. Cum אָרָב pro tertia radicali significat consummare; at cum אָרָב pro tertia radicali significat cohibere, ut hoc loco* ] & obsignando peccata [ *Vulgata Latina, & finem accipiat peccatum. At verbum אָרָב significat obsignare: sicut & Græca habet τὸ σπειρωθῶσαν τὴν ἀμαρτίαν* ] & expiando iniquitatem & adducendo justitiam sempiternam [ *Hebr. ad verbum, justitiam seculorum:* ] & obsignando visionem

nem [ *Vulgata Latina, & impleatur visio. Similiter habet Græca Aquila, τὸ τὸ ἰσοῦ ἀγαπᾷ τὸν ἰσοῦ*: Sed melius Græca vulgata, τὸ ἀγαπᾷ τὸν ἰσοῦ: nam, ut jamjam dictum,  $\square$  significat obsignare, ἀγαπᾷ ] ac Prophetam [ *Vulgata Latina, & prophetia. Sed  $\square$  prophetam significat, non prophetiam: Cùm Hebræo consentit Græca* ] & ungendero sanctum sanctorum [ *Vulgata Latina, & ungetur sanctus sanctorum. Atqui in Hebræo non est  $\square$  hoc est, sanctus: sed  $\square$  hoc est, sanctum genere neutro, vel sanctitas: sicut & plurale  $\square$ , non significat sanctos, sed sancta, genere neutro, numero plurali, vel sanctitates.  $\square$  enim pluralem numerum format  $\square$ : at  $\square$  plurali numero habet  $\square$ , vel  $\square$ . ]*

Postquam Propheta Daniel satis comparatus fuit ad suscipiendum divinum responsum, exponit illud Angelus Gabriel usq; ad finem capitis. Cæterum divinum illud responsum cōtinet insigne vaticinium, quod Judæus quidam scribens in hoc caput in Commentario dicto Chazon Moëd, dicit à Christianis haberi pro columna præcipua religionis suæ. Verè hoc quidem: nam est certè columna præcipua religionis nostræ Christianæ. In ejus autem explicatione duo pertractare fert animus, divinâ gratiâ favente: primò verum sensum atque usum responsi istius, deinde epilogisimum septuaginta septimanarum. Quod ad genuinum sensum usumque responsi hujus divini attinet, primò proponemus brevem ejus summam; deinde omnia plenius prolixiusque diducemus. Summa ejus hæc est: Prædixit Deus, civitatem Jerosolyma restitutum atque instauratum iri & pro septuaginta annis captivitatis populum contrâ septuaginta septimanas annorum eam habiturum, intra quod tempus Christus ille promissus vêturus esset & moriturus, peccatis expiatis atque justitiâ sempiternâ adductâ, tandemq; civitatem perdendam, sanctuarium excindendum; cultum sacrificiorum abolendum & politiam populi Judaici planè destruendam: ut Daniel & alij fideles in populo Judaico cognoscerent, minimè sibi hærendum esse in temporali hac liberatione ex Babylonica captivitate, atque urbis Jerosolymorum ædificatione, sed per fidem intelligerent eam potius typum futuram æternæ liberationis per Christum & ædificationis Ecclesiæ electorum in toto mundo inter omnes gentes: terrenamque urbem Jerosolyma typum cælestis Jerusalem esse. Quemadmodum passim in Scriptura urbs Jerosolymorum constituitur typus civitatis cælestis seu cælestis Jerusalem: ut Psal. 15. 1. *Jehova quis commoratus est in tētorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ?* Qui typus clariùs explicatur in lib. Apocalyp. cap. 21. v. 2. *Et ego Johannes vidi sanctam illam civitatem Jerusalem novam, descendente à Deo è caelo, paratâ, ut sponsam ornata viro suo. Hæc est summa: Nûc ut discedamus oïa tractemus, observandûs Angelû de tēpore, per quod politia Judaica ac urbs sancta statura, ac intra quod Christus venturus & beneficia sua Ecclesiæ esset exhibiturus*

dupliciter vaticinari: primùm generatim ac universè, deinde *specificatim* & *particulariùs*. Generatim atque universè vaticinatur versu 24. *Septimana septuaginta decise sunt super populum tuum & super civitatem sanctam tuam, cobibendo defectiõnem & obsignando peccata & expiando iniquitatem & adducendo justitiam sempiternam; & obsignando visionem ac Prophetam & unguendo sanctum sanctorum vel sanctitatem sanctitatum.* Hæc generalis prædictio trib. membris constat. Primum est, *Septimane septuaginta decise sunt super populum tuum & super civitatem sanctam tuam.* Singulæ nobis voces sunt perpendendæ. *Septimana* in Sacra Scriptura commemorantur duplices, aliæ dierum, aliæ annorum: ut traditur etiam in Tractatu Sanhedrim, in Talmud Jerosolymitano. *Septimanam dierum* voco tempus septem dierum cõmuniũ: de quali septimana loquitur Daniel infra cap. 10. v. 2. ubi ait, *se in luctu fuisse tres septimanas dierum.* De talibus septimanis loquũtur sacri autores in rebus quotidianis & familiaribus, vel ad unitus hominis ætatem pertinentibus, ut Levit. 23. v. 15. 16. *Septimanam annorũ* verò appello tempus septem annorum. De talibus septimanis loquũtur Prophetæ, cùm agunt de rebus magnis & diuturnis & pertinentibus ad Rempublicam, cujus tardiores gressus & majores periodi. Exemplum est Levit. 25. v. 8. *Numerabis tibi septem sabbatha seu septimanas annorum, septem annos septem vicibus; ita ut tempus septem septimanarum annorum sint tibi quadraginta novem anni.* Jam videndum, de cujusmodi septimanas Angelus hoc in loco verba faciat. Non de septimanis dierum; quia ut in versu sequente habetur, Jerosolyma septem hebdomadibus ædificari debuerunt: At septem dierum hebdomadibus ædificari non poterant, eoq̃ue plurimorum annorum decursu exstructa historia sacra atque aliæ testantur. Itaq̃ue de septimanis annorum Angelum loqui est certum: idq̃; R. Saadjah, R. Mosche, & R. Schelomo fatentur, quibus alij doctiores Iudæi assentiuntur. Recentiores Iudæi si urgentur, aut annorum Decadas, aut Jubilæos, aut etiam secula seu spacia centenorum annorum hoc loco significari respondent: quod & ratione caret quia sic nondum destructa essent Jerosolyma, nondum ablatum sacrificium & hostia: & exemplo in Scriptura sacra destituitur. Si quis vehementiùs instet, auctoritatem libri Danielis rejiciunt quidam & in calculo hallucinatim pronuciare audent. Proinde statuimus, Angelum de hebdomadibus annorũ loqui. Septimanas verò ejusmodi dicit futuras *septuaginta*, seu *decies septem*. Septimus numerus censetur divinissimus, quia neque producit, neque producit, sed est unicus per se ex unitatibus, continens duos primos perfectos, ternarium & quaternarium. Maximè verò est is numerus tempori numerando accommodatus. *Septuaginta* verò est septenarius denariorum, quare cùm decem omnes numeri sint, septenarius, cujus unitates sunt (ut ita dicã) perfectæ totalitates, & ipse perfectus est: ut in numero septuaginta hebdomadum, Dei temporum moderatoris, in numero disponentis secula,

secula, sapientia sit suspicienda ac veneranda. Nam cum Deus Israëlitas ex Ægyptiaca servitute liberasset, præceperat, ut illi, terram promissam ingressi, sex annis agros colerent, septimo autem anno culturam intermitterent, ut quiesceret terra Sabbatho Jehovæ: quæ lex existat Levit. 25. v. 2. 3. 4. 5. *Alloquere filios Israëlitis edicens eis, quum ingressi fueritis in eam terram quam ego do vobis, tum quiescet terra Sabbatho Jehovæ. Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam & colliges proventum illius. Anno autem septimo sabbatum cessationis esto ipsi terræ, Sabbathum Jehovæ: agrum tuum ne seminato & vineam tuam ne putato. Sponte natum ex messe tua ne metito, & uvas intermissæ tuæ vineæ ne vindemiato: annus cessationis esto ipsi terræ.* Septimo itaque anno tum agrorum tum vinearum cultura intermitti & quicquid eo anno sive agri sive vineæ sponte tulissent, commune esse debebat, non autem à dominis agrorum & vinearum sibi tanquam proprium vendicari. Adhæc Legem tulerat Dominus Deuter. 15. ver. 1. & sequentibus, ut anno illo septimo quo sabbatum terræ erat, creditores intermitteret exactionem nominum à fratribus seu Israëlitis aliis: tum ut liberalitatem in fratres egentes exercerent: præterea ut servum Hebræum vel servam Hebræam ubi sex annis serviissent, septimo anno libertate donarent. Insuper edictum à Deo erat, ut septem septimanarum annorum, hoc est, quadraginta novem annorum spacio elapso, jubilæum quinquagesimo quoque anno celebrarent, quo culturam agrorum vinearumque intermitterent, libertatem in terra omnibus habitatoribus proclamarent, possessionem suam cuique restituerent, servos manumitterent, & alia præstarent quæ Levit. 25. v. 8. & sequentibus recitantur. Sed quia ut cætera, ita hæc quoque Dei mandata negligentiùs observaverat, imò multi nihil curaverant, exilio annorum septuaginta sunt à Deo damnati, donec acquiesset terra sabbatis suis: omnibus diebus desolationis quiescit, complendo septuaginta annos, ut est 2. Chron. 36. v. 21. Hoc autem factum eo fine, ut Israëlita malo suo edocti discerent religiosius sibi Sabbatha Dei esse observanda, quum suæ libertati fuissent restituti. Ac quia libertas illa, finitâ Babylonicâ captivitate Judæis concessa, typus erat libertatis ejus, quæ credentibus Messia promissi beneficio est parta, propterea Danieli tempus illius exhibendæ confirmandæque septies septuaginta annis fuit definitum, sive decem jubilæis annis. Nam tot annos efficiunt anni Jubilæi decem, quot hebdomades annorum septuaginta: nempe quadringentos nonaginta Jubilæi enim anni celebrantur exactis septem septimanis annorum, hoc est, 49. annis. Decies autem 49 anni efficiunt quadringentos nonaginta annos, quot nimirum septies septuaginta exhibent. Proinde completis septuaginta septimanis Danielis satisfactum figuris per Sabbatho terræ & jubilæos significatis. Ita numerus hic annorum debuit Daniele m aliosque fideles inter Judæos admonere veri illius perfectissimique Jubilæi quo Christus exhibitus libertatem sempiternam à Satana manci-

patu & debitorum omnium quæ peccatores morti æternæ addixerat, remissionem erat allaturus. Septuaginta ergo istæ septimanæ annorū efficiunt annos quadringētos & nonaginta: Sed jam quæritur, quales anni sint, solares ne an lunares; nam hi distinguuntur, quum annus lunaris sit brevior anno solari vñdecim diebus. Africanus in quinto temporū volumine, Eusebius & Beda putant annos lunares intelligendos, tum quia Judæi lunaribus annis utātur, tum quia septimanæ istæ dicuntur abbreviatæ esse. Atqui Judæi non utuntur annis lunaribus, sed solaribus: Deinde juxta Hebraicam veritatem non dicuntur septimanæ istæ abbreviatæ, sed decifæ. Sunt igitur intelligendi anni Solares: tum quia non fit computatio in toto veteri testamento, nisi per annos solares, ut videre est in historia diluvij, eductionis populi Israëliti ex Ægypto & alibi: tum quia ipsimet interpretes Judæorum super hunc locum nunquam meminerunt lunarium annorum, sed semper solarium. Neque necesse est de hoc cum Judæis disceptare, ne occasionem ipsis præbeamus, inde eludendi interpretationem hujus vaticinij nostram. Septuaginta igitur septimanæ annorum, sunt septies septuaginta, hoc est, 490. anni solares. De his verò septuaginta septimanis dicitur, quod sint *decifæ*, hoc est, exactè & ad amussim æterno Dei decreto determinatæ, præcisè definitæ, sic ut nec plures nec pauciores anni sint intelligendi: Ita Angelus confirmat Prophetam de certitudine temporis, quod à nulla creatura sit mutandum, cum sit præcisum & immutabiliter definitum ab eo, cujus solius est omnia definire lege inviolabili & immutabili. Ornamentum seculi nostri Iosephus Scaliger libro sexto, de Emendatione Temporum, censet annos 493½ intelligendos, quia versu ultimo fiat mentio dimidiæ septimanæ: ut ita initio ab Angelo numerus integer seu rotundatus sit positus pro corrupto juxta consuetudinem Scripturarum. Istas deniq; septuaginta septimanas dicit esse *decifas super populum Danielis & super civitatem sanctam Danielis*: id est, quibus populus Judaicus ex Babylonica captivitate redux formam aliquã reipublicæ habiturus & civitatem Ierosolyma inhabitaturus esset. Includit igitur excidium Ierosolymorum: in hoc intervallum: quod observavit etiam Hieronymus in Cōmentariis suis, ubi verba hæc sic explicat: *Quia postulas pro Hierusalem & oras pro populo Judæorum: audi quid in septuaginta annorum hebdomadibus futurum sit populo tuo & urbi tue, & longè ante ipsum Tertullianus libro adversus Iudæos cap. 8. ubi docet, à Daniele tempora prædicta & future nativitatē Christi & passionis ejus & exterminij civitatis Jerusalem, id est, vastationis ejus. Et apertius, cum ait, civitatem habere exterminari post unam & dimidiam hebdomadam. Ac rursus: In diem expugnationis sue J. d. e. impl. verunt hebdomadas septuaginta, prædictas à Daniele.* Notavit idem Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 143. editionis Comelianæ: item eodem lib. pag. 147. Hoc observandum, quia inde constat terminus septimanarum. Expresè Angelus dicit septi-

manas istas pertinere ad populum & ad civitatem. Habemus igitur illarum subjectum, ne quis de eo in posterum dubitet, aut aliud extra verba Angeli comminiscatur. Sententia ergo primi membri hæc erit: Civitatem Jerosolyma esse instaurandam, populumq; Judaicum eam habiturum totos annos 490. cum illorum sine civitate quoq; finem habituram. Videamus jam membri istius usum. Colligimus hinc quinque documenta.

1. Septuaginta septimanas annorū, Danieli & Ecclesiæ Judaicæ prædictas, nos admonere jubilæi æterni & perpetui in Ecclesiam Christianam inducti, nō corporalis jubilæi, sed spiritualis. Nam septies septuaginta seu 490. anni continent in se decem Jubilæos, h. e. omnes. (cū decem, omnes numeri sint, ut nuper dictum:) quibus exactis libertas filiis Dei contingere debuit legum Mosaicarum, quarum per Christum piis & credentibus facta est abrogatio, ob signata civitatis Jerosolymorum & templi Jerosolymitani destructione quæ completis septuaginta illis septimanis annorum evēnit. Est igitur quod de complemento illarū gaudemus, nobisq; gratulemur: ideo quod hinc certi sumus, perfectum jam ac perpetuū Jubilæum in Ecclesia Dei durare, in quo peccata seu debita nobis remittuntur, possessio cæli restituitur, libertas à servitute æterna, à peccati jugo, à legibus Mosaicis, à jugo deniq; traditionum humanarum est concessa. Hoc est quod Dominus ipse Luc. 4. v. 18. ex cap. 61. Jesaiæ vers. 1. & sequentib. dicit: *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut euangelizem pauperibus misit me, ut medear contritis corde, ut prædicem captivis dimissionem & cæcis visus recuperationem, ut confractos emittam in libertatem: ut prædicem annam Domini acceptam.* Ultimam det DOMINVS Judæis, qui in hodiernum usque diem contumaces fuerunt, ut oculis fidei septuaginta illarum septimanarum Danielis complementum nobiscum rectè contemplantur & Christum verum liberatorem amplectantur.

2. Magnam esse longanimitatem Dei, qui non sit præceps in exsequendis suis judiciis, sed longissimum etiam respiscendi spatium indulgeat, antequam tandem omnem suam iram effundat: quemadmodum Judaico populo tempus annorū quadringentorum & nonaginta ad respiscendum concessit, priusquam illum penitus dissiparet & in perpetuam captivitatem dispelleret.

3. Multis vicibus diutiùs perseverare Dei benignitatem erga respicientes, quàm antea duraverit iudicium in peccantes: Quemadmodum populus Iudaicus 70. annis in exilio fuit; at cū resipisset, septies septuaginta, hoc est, 490. annos rursus in patria habitavit. Ita in septuplum major est Dei gratia erga respicientes, quàm fuit ira. Est enim propensior Deus ad beneficiendum, quàm ad puniendum. Hoc unusquisq; ad se accomodat. Si quis aliquandiu ægrotet, cogitet se septuplo diutiùs bona valetudine ex Dei beneficio & usum ante, & rursus, si

ei placeat, usurum. Istud rarò perpendimus: Si etiam diutissimè & per complures annos continuè omnia ex animi sententia nobis fluxerint, parvi pendimus: Sin verò duos vel tres dies morbum aut calamitatem aliam patiamur, statim nimis diu nos affligi putamus, vel una hora videtur nobis longissima atque adeò totus annus. Observanda igitur diuturnitas, non tantùm adversitatis, sed etiam prosperitatis: non tantùm judicij divini quo castigamur, sed etiam benevolentia, ex qua innumeris afficimur bonis. Si exiguo tempore tibi malè est, recordare tibi quàm diutissimè bene fuisse, & rursus, ubi Deus volet, diu bene futurum: quod si non in hac vita, tum certè in illa altera. David ait Psal. 30. v. 6. *Quum momento fuit in ira sua, vita adest benevolentia ejus: Vespere si diversetur fletus, mane adest cantus.* & v. 12. *Convertisti planctum meum in choream mihi, solvisti cilicium meum, & accinxisti me letitia.* Ita est ergo Deus à natura, ut propensior sit ad benefaciendum longo tempore, quàm ad puniendum.

4. Omnibus rebus à Deo certam temporis periodum esse attributam; omnibus esse præcisè definitum tempus, ante cujus exitum desinere & post cujus decursum durare nequeant. Quemadmodum urbi Ierosolymorum à reducibus ex captivitate instaurandæ præcisè determinati fuère 490. anni, quibus elapsis necesse illam fuit destrui. Non est igitur quòd miremur aut queramur, regna ac respublicas interire: sed cogitemus potiùs, septimanas illis præstitutas exiisse, & adoremus providètiã divinã, sapientissimè omnium rerum tempora dispensantem. Nec etiam indignemur, impia quædam regna, ut Turcicum, Tartaricum & alia, aut impios principatus & respublicas diu durare: decisæ enim sunt & illis suæ septimanæ, quibus terminatis corruent. Civitas Ierosolyma post decursum 490. annorum est eversa: manebunt etiam sua fata urbem illam magnam Romam, *quæ vocatur spirituaa liter Sodoma atque Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est* Apoc. 11. v. 8. subintellige, in membris suis, juxta illud Christi Actor. 9. v. 4. *Saule, Saule quid me persequeris?* De excidio urbis Romæ videatur totum cap. 18. Apocalypseos.

5. Unicuiq; fidelium cogitandum, populum sanctorum excelsorum, suum populum: & civitatem Ecclesiæ, suam civitatem esse: sicut Angelus dicit ad Danielelem, super populum tuum & super civitatem sanctam tuam. *Glossa ordinaria interlinearis ex Hieronymo putat, obliquè hic notari populi rejectionem, quasi diceret Gabriel: Nequaquam populus Dei est, sed populus tuus; nec urbs sancta Dei, sed sancta, ut dicis, tibi.* Addit Hieronymus: *Simile quid & in Exodo legimus, quãdo Deus loquitur ad Moysen Exod. 32. Descende, peccavit enim populus tuus: hoc est, non populus meus, quia me deseruit.* Sed hoc prorsus alienum est à consilio Angeli, qui solatium voluit afferre mœrenti Prophetæ. Vocatur autè populus & urbs Danielis, tum quia de utriusq; restitutione & salute sollicitus fuit, tum quia Deus hoc da-  
bat

bat precibus servi sui Danielis, quòd promulgabat vaticinium futuræ liberationis. Sic igitur populus Dei, noster, & civitas Dei, seu Ecclesia, nostra censerì debet: quia pro ejus incolumitate assiduè solliciti esse & vota ad Deum concipere debemus, quemadmodum Daniel concepit; quemadmodum & David Psal. 51. v. 20. *Benefac pro bona voluntate tua Tzjoni, ædifica muros Jerosolymorum.* Qui verò pro populo Dei & pro Ecclesia sollicitus non est, nec orat: illius etià nec populus, nec Ecclesia est, ac proinde nec ipse partè ullam in populo & Ecclesia Dei habet.

*Sic igitur explicatum est primum membrum generalis predictionis.*

Secundum membrum his continetur verbis: *Cohibendo defectionem & obsignando peccata & expiando iniquitatem & adducendo justitiam sempiternam.* Còmemorantur autem his verbis beneficia, quæ Christus in carne patefactus, erat Ecclesiæ suæ exhibiturus. Illa sunt, ablatio mali & còmunicatio boni. Ablationis mali tres gradus statuuntur, nempe còhibitio defectionis, obsignatio peccatorum & expiatio iniquitatis. *Còhibitione defectionis* intelligit Angelus revocationem & cònservationem electorù à magna ac tristissima illa defectione à federe Dei, quæ defectio futura erat, cùm Judæi pleriq; non essent tempus suæ ex alto visitationis agniti, sed fedus Dei pertinaciter & præfractè deserturi, rejecto Christo, qui homo factus suo sanguine fedus erat sanciturus. *Obstupescite celi de hac re; & horrescite, desolemini valde, dictum Jehovah.* Nam duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt scaturiginem aquarum viventium, ut effoderent sibi cisternas, cisternas fractas, quæ non capiunt aquas, exclamat Deus Jerem. 2. v. 12. & 13. Quomodo dereliquerunt scaturiginem aquarum viventium? procul dubio non recipiendo Christum, fontem aquæ vitæ, & còperunt habere cisternas fractas, hoc est, synagogas in dispersiones gentium, in quibus jam Spiritus Sanctus non immoratur. R. Schelomo cujus expositio apud Iudæos est communior & celebrior, aliter interpretatur ista verba *וַשָּׁמַיִם אֲרֵיבִים*, nempe ut Judæi desistant à prævaricationibus suis, & per hoc mereantur apud Deum quòd deleatur iniquitas ipsorum. Fingit enim, post secundam destructionem Ierosolymorù per Titum factam, in qua septuaginta hebdomades sunt completæ, Iudæos in multò longiorem captivitatem, quàm fuerit Babylonica, Dei permisso abducendos fuisse, ut hoc pacto à peccatis desistere discerent & punirentur pro præteritis peccatis & mererentur quòd visiones Prophetarù de Christo impleantur, atque ideo istam captivitatem, in qua jam sunt, usq; ad Messias adventum duraturam. At falsitatem istius interpretationis multa ostendunt. Experientia enim primò testatur, tantum abesse ut Iudæi per diurnam istam captivitatem meliores sint redditi, ut longissimè peiores evaserint, cùm dediti sint multi artibus magicis, & perjuriis exigui lucri causâ, cùm injustitiam grandem in usuris

exerceant atque alia peccata, quæ lege Moſis ſunt prohibita, certatim patrent: ut nihil dicam de continuatione contemptus Domini IESU & rejectionis Euangelij ejus atque adeo divinæ gratiæ; ac licet ipſi rejectionem Domini IESU & Euangelij ejus pro peccato non habeant: tamen quia nos Chriſtiani gravitatem hujus peccati intelligimus, in quò hætenus Iudæi obdurati permãſerũt; cognoscimus inde falſam ipſorum interpretationem eſſe. Deinde eandem falſitatem evincit impoſſibilitas quicquam boni promerendi à Deo vel per ſtudium operum Legis Moſaicæ, vel per paſſionem pœnarum: nam ut de illo nihil dicam, certum eſt damnatorum pœnas innumeris vicibus longiores futuræ hodierna captivitate Iudæorum, nec tamẽ ſpem ullam liberationis ſunt habituri: ſiquidem pœnis hominum peccantium non ſatisfit juſtitia Dei, nec ſatisfieri poteſt: ideo damnati in æternum abſq; ullo fine pœnas luere cogentur. Deum oro ut det miſeris Iudæis quò ſeſe conuertant, & tollatur velamen illud, quod cordi eorum impoſitũ eſt. *Ad hunc uſque diem in lectione Veteris Federis manet illis non reſectum velamen illud, quod per Chriſtum aboletur. Quando verò ſeſe converterit cor illorum ad Dominum, tolletur velamen illud. Dominus verò Spiritus ille eſt: ubi autem Spiritus ille Domini, illic libertas. Nos autem omnes reſecta facie gloriam Domini ut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, ſicut à Domino Spiritu: ut Paulus loquitur 2. Cor. 3. v. 14. & ſequentibus.* Miſiſ itaque Iudæis, ſtatuiſmus per cohibitionem deſectionis intelligendam coërcitionem apoſtaſiæ, ne illa nimis latè vagaretur ſed ut ab ea immunes reliquiæ filiorum Iſraëlis, ſervarentur: ſicut dixit Ieſaias, *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus ut Sodoma, & Gorum morra ſimiles facti fuiſſemus: quemadmodũ iſtud teſtimonium ad hunc ſcopum adducit Apoſtolus Rom. 9. v. 29. Hoc eſt quod Dominus dicit Ioh. 17. v. 12. Quum eſſem cum eis in mundo, ego ſervabam eos per nomen tuum: quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex eis perit, niſi filius ille perditionis: ut Scriptura impleretur.* Atque hæc de primo gradu ablationis mali. Secundus eſt obſignatio peccatorum, per quam intelligit Angelus obtectionem eorum ne amplius recognoscãtur: ſuntã metaphoriã ab albo debitorũ ſeu ſyllabo in quem debita à creditoribus referũtur, quo obſignato nemini datur illum intueri & quæ debita in eo ſcripta ſint cognoscere, niſi ei qui habet ejus rei poteſtatem. Ita prædixit Angelus, Chriſtum obſignaturum librum noſtrorum peccatorum ſigillo in æternum non referendo, poſtquã deleviſſet chirographum quod ad verſus nos erat: quod, inquã, erat nobis occultè contrariũ, ipſe verò cruci affixum è medio ſuſtulit Colof. 2. v. 14.

Tertius gradus ablationis mali eſt expiatio iniquitatis, per quam expiationem Angelus intellexit abolitionem reatus quo propter iniquitates noſtras obſtricti eramus oës. Prædixit itaq; Angelus, reatũ illum planè ſublato iri, liberatis electis ab omni pœna, per ſacrificium propitiatorũ, quod Chriſtus erat oblaturus, immolato corpore carnis ſuę in cruce.

*Hætenus*

*Hætenus explicatum est primum beneficium, quod Christus intra  
spacium illud septuaginta septimanarum annorum erat  
Ecclesie sue præstiturus.*

Aterum beneficium est communicatio boni: nam Angelus prædixit, Christum non tantum aboliturum peccatum, sed etiam adducturum justitiam sempiternam. Hæc justitia est CHRISTI unici illius Mediatoris inter Deum & electos: de qua ante etiam Prophetæ prædixerant, ut David Psal. 85. v. 11. & 12. *Benignitas & fides occurrent inter se, justitia & pax osculabuntur se. Fides è terra germinabit & justitia è caelis prospectabit. Benignitas est gratia, misericordia ac benevolentia Dei p quâ justificamur: fides est fiducia illa cordis quâ tanquam instrumento justitiam oblatam accipimus: justitia est integritas Christi quæ nobis imputatur: pax est tranquillitas cõscientiæ ex justificationis beneficio nascens* Iesaias cap. 45. ver. 24. 25. *Tantummodò in lebova, omnis justitia & robur est: ad ipsum veniat congressurus, at erubescens: quicumq; exarsescunt contra eum, erubescunt. In lebova justificabuntur & gloriantur totum semen Israelis.* & cap 53 v. 11. *Cognitione facti justificabit justus servus meus multos, quorum iniquitates ipse bajulaverit. Jeremias cap. 23. v. 5. & 6. Ecce dies venturi sunt dictum lebove, quibus exorbitabo Davidi germen justum: qui regnabit Rex, secundabiturq; ac exercebit justitiam in terra. Diebus ejus servabitur Iuda & Israel habitabit secure: atque hoc nomen ejus est, quo vocabit eum, ô lebova justitia nostra. Idem repetitur cap. 33. v. 15. & 16. Iustitia autem Christi sempiterna dicitur, quia ejus vis & efficacia durabit in æternum: nullam unquam finem habitura, ne tum quidem, cum patefiet quid erimus: unde propter illam in æternum accepti Deo erimus.*

*Consideremus jam secundi membri usum.*

Est in eo observandus insignis locus de beneficiis Christi, quæ ille in carne manifestatus nobis præstitit: ea sunt ablatio mali, & collatio boni ad salutem necessarij. Unde colligimus ablationem mali & collationem boni conjuncta quidè, distincta tamen beneficia Christi esse. Ablatione mali liberamur ab eo onere quod habebamus: collatione boni donatur eo munere quod non habebamus. Ablationis mali tres gradus Angelus statuit: cohibitionem defectionis, obfignationem peccatorum & expiationem iniquitatis. Primo gradu aufertur dominium peccati: secundo accusatio peccatorum nomine: tertio reatus & damnatio. Cohibet. n. Christus defectionem, cum peccati vim exstinguit, ne in nobis regnet: cum nos custodit ne superati tentationib; sive ad dexteram sive ad sinistram, à Deo desciscamus & pereamus. Obfignat aut peccata nostra cum illa tegit suam innocentiam, ne in conspectum Dei unquam veniant: cum efficit, ne coram tribunali Dei debitorum postulemur, tabulis in quib; debita nostra cõsignata sunt, adversus nos prolatis, quia illas ipse obseravit signo firmissimo, quod in æternum non aperietur. Deniq; expiat iniquitatem, cum reatum nostrum tollit, ne sumus obnoxij dånationi.

*Quis enim est, qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imò verò qui etiam  
 justificatus est: qui etiam est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.  
 Rom. 8. ver. 34. Nulla igitur nunc est condemnatio ijs qui sunt in CHRISTO  
 JESU. Rom. 8. v. 1.*

Collatio verò boni est adductio iustitiæ sempiternæ, quâ nobiscum  
 Christus communicat. De hac operæ pretium est, nonnulla dicere, &  
 quidem hoc ordine; primùm falsas sententias Papistarum, Osiandri,  
 & aliorum, brevissimè attingemus, deinde veram atque orthodoxam  
 Ecclesiarum ex præscripto verbi Dei reformatarum sententiam expli-  
 cabimus & confirmabimus.

Quod ad Papistas attinet, iustitiam illam Dei seu Evangelicam, quâ  
 justificamur coram Deo variè definiunt: Iesuitæ in Censura Colonien-  
 si fol. 186. docent, *iustitiã Dei quæ in Evangelio revelatur, esse virtutem in Deo,  
 quæ juxta uniuscujusq; dignitatem singulis distribuit.* Frat. Alphonfus Philip.  
 4. pag. 34. docet, *Iustitiam Evangelicam esse æquam proportionem meritorum  
 ad præmia.* Hieronymus Osorius, Lusitanus, Episcopus Algarbiensis  
 de iustitia cælesti lib. 5. cap. 4. definit esse *statum animi, divina lege fundatũ,  
 atque divinæ virtutis constantiam specie referentem.* Concilium Tridentinum  
 Sessione 6. cap. 16. definit itidem esse *virtutem nobis inhærentem, à Deo no-  
 bis infusam per Christi meritum: unde credendam sit nihil ipsis justificatis am-  
 plus deesse, quo minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ  
 Legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tã-  
 men in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Ex his pa-  
 tet, Jesuitas Colonienfes in definienda iustitia illa à cæteris Papistis &  
 à patribus Synodi Tridentinæ disidere: siquidem Jesuitæ Colonien-  
 ses statuunt, eam esse virtutem in Deo; cæteri verò dicunt esse virtutem  
 in homine inhærentem, esse statum animi. Censorum Colonienfium  
 sententia affinis est Manichæismo: nam Manichæi tradiderunt, essentiam  
 Dei in homines transfundi: reliquorum verò Papistarum Pelagianis-  
 mo: neutra vera, neutra orthodoxa. Censorum opinio falsa est, quia cõ-  
 fundit iustitiam Euâgelicam quâ peccator coram Deo justificatur cum  
 essentiali iustitia Dei, quæ nihil est aliud, quàm ipsamet Dei essentia.  
 Atqui fieri nequit, ut per essentiam Dei seu per essentialem Dei iusti-  
 tiam homo sit iustus: quia sic essentia Dei fieret accidens hominis. Cæ-  
 terorum etiam Papistarum atque patrum Tridentinorum sententia iti-  
 dem falsa est, quia iustitia quâ nos justificamur coram Deo, est in Chri-  
 sto 2 Cor. 5. v. ult. non ergo virtus vel qualitas nobis inhærens: quia ius-  
 titiam quâ coram Deo justificamur necesse est omni ex parte integram  
 atque absolutam esse; non enim alia iustitia coram tribunali Dei consi-  
 stere potest; at virtus nobis inhærens nequaquam est omnibus nume-  
 ris perfectâ atque absoluta.

Andreas aurem Osiander docuit, per essentialem Deitatis Christi in  
 nobis habitantis iustitiam nos justificari; Christum esse iustitiam no-  
 stram,

stram, non quatenus peccata expiavit & Patrem nobis placavit, sed ut est Deus æternus & vita: justitiam nostram esse Deum ipsum nos ad justa facienda impellentem. Hanc erroneam opinionem refutarunt Magdeburgenses & Lunæburgenses: & præter hos Calvinus lib. 3. Institut. Christi. religionis cap. vndec. sect. 5. & sequentibus aliquot. Est autem rejicienda: 1. quia confundit Deum ipsum cum ipsius in nobis effectis, cum eam justitiã quã justii sumus, vult esse eam ipsam justitiam quæ Deus est. 2. quia non aliam quàm essentialẽ illam Dei justitiam in Christo considerans, excludit planè Christi obedientiam. 3. quia justificationem cum sanctificatione confundit.

Claudius verò Alberius Triuncurianus in Orationibus Apodicticis de Fide Catholica Apostolica Romana pag. 5. vocat justitiam illam Dei, *interiorem naturam veræ religionis*: pag. 12. appellat *verum cultum Dei*. pag. 20. dicit, *justitiam Dei externè non posse patesceri, quin ante justitia Dei in homine sit internè: eamq; à Spiritu Dei infundi in nos & foveri in nobis*. pag. 31. *justitiam Dei esse formam interiorem*. pag. 33. *eam in corde unius alicujus habitare*. pag. 74. ait *justitiam esse wasurinkò wasidura*, id est, *patibilem qualitatem*. Huic suo dogmati renunciavit in Synodo Bernensi habita Anno 1588. 23. Aprilis & orthodoxis articulis Synodi subscripsit. Verùm pœnitentiã ductus subscriptionis, rediit ad defensionem errorum suorum, donec tandem Apostata aperte fieret & ad Papiſtas tráſiret, quorum sententiam prius defenderat, licet videri vellet ab ipsis dissentire.

Antonius Lescalleus ex Monacho institor, ex institore discipulo Alberij & hæreseos ipsius sectator atque propugnator factus, contendit, justitiam illam esse opera bona quæ Christus in nobis facit. Hunc fidei Ecclesiæ Gallicanæ quæ est Basileæ ministri, Jacobus Couetus & Constantinus Leonhardus, refutarunt. Ecclesiarum verò ex præscripto Verbi Dei reformatarum doctrina hæc est: Justitiam illam sempiternã quam Christus nobis adduxit & quã coram Deo justificamur, esse perfectissimam Legis divinæ impletionem quam Christus secundum humanam naturam pro nobis seu loco nostro præstitit inde à primo exinanitionis suæ momento usque ad ejus finem, hoc est, in conceptione, in natiuitate, in educatione, in tota vita, in passione tota à primordio vitæ usq; ad mortem, mortem autem crucis. Implevit enim legem dum sanctè absque omni labe peccati originalis conceptus est & natus: quoniam Lex requirit, ut inde ab ipsa conceptione & natiuitate omni labe peccati careamus: & contra, justitiã originali præditi simus, sancti & puri. Implevit Legem sanctè vivendo: implevit Legem circumcisionem & baptismum suscipiendo: implevit Legem passione & morte sua: omnes typos legis implevit, & omnes promissiones patrib. in Lege datas præstitit. Implevit Legem, omnem habendo & faciendo justitiam quã Lex postulat, & carendo omni peccato quod Lex vetat: tum perferendo pœnas, quas Lex nobis propter ejus violationem erat comminata. Im-

plevit & præcepta Legis & comminationes, & promissiones & typos. Præcepta, quia *voluntati Dei, absolutissimè per omnia satisfecit, cum sit ipse sanctus sanctorum, in quo nulla est macula, concupiscentia prava nulla, peccatum nullum: in eo est dilectio Dei perfectissima & iustitia per omnia absolutissima. Et hanc nobis imperfectissimis comunicat gratis, si credamus. Condonat enim nobis peccata, factus pro nobis expiatio: & communicat nobis suam iustitiam, quæ imputativa vocatur: ut scribit Heinrychus Bullingerus Decad. 3. Serm. 8. Comminationes implevit: quia pœnas omnes quas Lex inobedientibus comminatur sustinuit. Subiit enim infernales angores, cum anima ejus tristis est facta usq; ad mortem, cum ipse luctans cum terribili Patris irati iudicio, quo nihil formidabilius cogitari potest, sudorem sanguineum sudavit, sic ut sudor ejus quasi grumi sanguinis in terram descenderent Luc. 22. ver. 44. Subiit gravissimos corporis cruciatus: sustinuit ignominiam incredibilem: subiit maledictionem pendens in ligno crucis: subiit denique mortem ipsam, solis illis debitam qui peccarunt. Promissiones implevit, quia ipse redimendi populi sui causâ est conceptus de Spiritu sancto, natus est ex virgine, omne nostrum debitum quod Lex à nobis exigebat loco nostro persolvit, omne consilium Dei Patris de nostra salute nobis patefecit, pro nobis sese in sacrificium obtulit, defectionem cohibuit, peccata obsignavit, iniquitatem expiavit, iustitiam sempiternâ adduxit, à morte æterna nos liberavit & vitam nobis restituit æternam. Typos, deniq; implevit, persecutionem & mortem passus à fratribus & cognatis suis ut Abel à fratre Caino: in sacrificium destinatus crucem portavit, ut Isaacus ligna ad sacrificandum: rex & Sacerdos existens ut Melchizedek: rex & Propheta, ut David, Salomon: in Ægypto exsulans & inde in terram sanctâ reductus, ut olim populus Israëliticus: proditus à Iuda Iscariote, ut olim David à Doëgo: ludibriis & fannis exagitatus, ut olim David: in crucem actus, quemadmodum serpens in deserto: tres dies & noctes fuit in corde terræ, sicut Jonas in ventre ceti: tertio die resurrexit è sepulchro, quemadmodum Jonas tertio die, è ventre ceti emerfit: ingressus est in cælum, sicut Summus Sacerdos quotannis in sanctum sanctorum: in perfecto jubilæo perpetuum nobis attulit libertatem, sicut olim Jubilæi servis libertatem pariebant: ceteris deniq; typis satisfecit: atque ita totam Legem, omnesq; ejus partes absolutissimè implevit: quæ absolutissima Legis impletio est iustitia illa sempiterna quæ nobis imputatur.*

Cæterum quæstiones movetur quædâ, ad quas respondere visum est.

Primum quæritur: *An sicut imputatur nobis pœnarum pro nobis nocentibus exsolutio, ita etiam innocentia Christi, hoc est, tum sanctitas & à peccato originali immunitas in qua Christus est conceptus & natus, tum perfectissima illa per totam vitam mandatorum Legis Moralis præstatio, & peccatorum actualium omnium evitatio, nobis imputetur?* RES P. Imputatur omnino. Neque enim concien-

scientias pacaret aliqua iustitiæ portio: sed perpetuò illas trepidare necesse esset, nisi firmiter persuasæ forent, totam iustitiam Legis sibi imputari: Proinde cælestis Pater, innocentiam Christi nos induit, eamq; fert nobis acceptam, ut ejus beneficio pro sanctis, puris & innocentibus nos habeat. Iustitiam enim Christi (quæ ut una perfecta est, ita sola Dei conspectum sustinere potest) pro nobis sibi oportet, ac iudicio representari velut sponsorem. Hæc nos instructi, assiduam peccatorum remissionem fide ubinamur. Hujus puritate velate nostræ sordes, & imperfectionum immunditiæ non imputantur, sed velut sepultæ conteguntur, ne in iudicium Dei veniant: ut piè docuit Iohannes Calvinus Institut. lib. 3. cap. 14. sect. 12. Eodem libro tertio cap. 17. sect. 10. ait: *Quemadmodum ergo nos ipsi, ubi in Christum insti sumus, ideo iusti apparemus coram Deo, quia ejus innocentiam conteguntur nostræ iniquitates: sic opera nostra iusta sunt & habentur, quia quidquid aliis vitij in ipsis est, Christi puritate sepultam, non imputatur.* lib. 2. cap. 15. sect. 6. ait: *Iam de sacerdotio breviter sic habendum, finem & usum ejus esse, ut sit Mediator purus omni macula, qui sanctitate sua Deum nobis conciliet.* Sic Oecolampadius nostræ Basiliensis Ecclesiæ reformator Demegoria 3. in Johannem, de Christo ait; quod & innocentiam placet Patrem. Hæc assertio firmissimo nititur fundamento, quod non titubat, nec quicquam metuit: nimirum; *Si noxa Adami nobis imputatur: multo magis innocentia Christi nobis imputatur. Potentior enim est Christus ad comunicanda nobiscum sua bona, quam fuit Adamus in propagandis in nos suis malis.*

Deinde non possumus subsistere coram iudicio Dei, nisi perfectâ iustitiâ quam Lex requirit induti. Atqui perfecta iustitia non est, quæ absolutissima omnium mandatorum destituta est impletione. Lex requirit, ut natura nostra sit expers peccati originalis & pura ab ipso ejus ortu, hoc est, ab ipsa inde conceptione & nativitate. Atque hæc nativa naturæ nostræ sanctitas est prima pars & principium reliquæ iustitiæ totius. Nam ab illa prodeunt fructus sanctarum actionum internarum & externarum. At natura nostra Legi in hoc non respondet, sed in peccato originali concepta & nata, impura est atque contaminata. Necesse autem est legi in hoc satisfieri à nobis, vel per nos ipsos vel per alium pro nobis. Per nos ipsos satisfieri non potuit, per alium ergo pro nobis oportuit, nempe per Christum, in quo nostra natura est sanctificata. Itaq; Christus suâ sancta conceptione, nostram sanctificavit: & sanctitatem quæ in nostrum quolibet cum conciperetur esse debebat, in natura à se assumta explevit. Idem sua sancta nativitate nostram impuram nativitatem obtexit, & defectum sanctitatis quæ in nostra nativitate esse debuit, per suam supplevit. Lex requirit, ut totâ vitâ exactissimam obedientiam, internam & externam, præstemus: at hoc nobis impossibile fuit factum; ideo opus fuit Christum pro nobis eam præstare.

Tum quoniam in ipsis etiâ lumbis Adami peccavimus & inobedientes fuimus, rei facti sumus pœnarum quas Deus fuerat comminatus: proinde pro peccatis satisfacere & sufficiens pœnas exsolvere debui-

mus, sed non potuimus, nec possemus, etiamsi in infinitas æternitates pateremur. Quocirca Christus pœnas pro nobis exsolvit & nos à morte æterna suâ morte liberavit.

*Tertio* Christus sponforem se constituit pro nobis non integris, sed lapsis, sed inobedientibus; sponforem, inquam, se constituit, ad præstanda omnia quæ nos præstare debebamus, sed non poteramus. Sponfionem suam implere cepit à primo exinanitionis momento, donec illam morte sua obfignavit.

*Quarto* omne nostrum debitum, quod Lex à nobis exigebat, persolvit. Atqui non tantum exigebat Lex pœnas pro peccatis, sed etiam ut peccato originali & actuali omni careremus & contra puritate perpetuâ & sanctitate præditi essemus.

*Quinto* Christus finis est Legis ad justitiam cuius credenti Rom. 10. v. 4. h. e. Christus est is cujus gratiâ lex est, ad quem Lex respicit & ducit, ut qui solus Legem impleverit perfectissimè eam præstando: ut quisquis credit in Christum qui Legem implevit, justus reputetur perinde ac sic ipsemet Legem implevisset. Sic interpretatur Chrysostomus in cap. 10. ad Romanos. *τί γὰρ ἔδωκε τὸ νόμου; δίκαιον ποιῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐν ἰσχυρῶν. ἡ δὲ εἰς γὰρ αὐτὸν ἐπλήρωσι, τὸ τοῦ νόμου τέλος. ἡ δὲ τὸ νόμου, καὶ εἰς τὸ πᾶντα ἔλπει, καὶ διὰ τὸ πᾶντα ἔχοντο, καὶ αἱ ἰουδαῖοι, καὶ αἱ ἑβραῖοι, καὶ αἱ ἑθνοῖς, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, ἵνα δικαιοσύνη εὐφρανθῶν, ἀλλὰ τὸ τέλος ἡ νόμου ἡ χριστὸς μεσενος διὰ τῆς πίστεως. μὴ τίνω φειδύσῃς φροῖν, ὡς τὸν νόμου παραβαίνων, ἰσχυρὴ τῆς πίστεως προσήλθης. τότε γὰρ αὐτὸν παραβαίνεις, ἵτις αἱ αὐτὸν τῷ χριστῷ μὴ πιστεύσας. ὡς αὐτὸν πιστεύσας αὐτῷ, κἀναῖνον ἐπλήρωσας, καὶ πολλῶν πλῆρον, ἢ ἰουδαῖοι. πολλῶ γὰρ μεσενος δίκαιουσίνω ἔλαβες.*

Christum autem esse finem Legis ad justitiam cuius credenti: eo sensu quo dictum est, liquet ex addita ratione: *Moses enim describit justitiam quæ est ex Lege, Quid qui præstiterit ea, vivet per illa. At quæ ex fide est justitia, &c.* q. d. quia solus Christus justitiam Legis habet: quæ est autem illa justitia ex Lege? Præstatio eorum quæ Lex requirit. Nos verò hanc justitiam ex Lege habere non possumus, quia Legem non præstamus: Sed habemus justitiam Christi ex fide, quum credimus illum Legem implevisse pro nobis.

*Sexto*, Christus nos liberavit à rigidissima illa exactione perfectissimæ obedientiæ Legi præstādæ: qui primus est gradus libertatis Christianæ. Hoc est quod Paulus dicit Gal. 4. v. 5. *Christum facti. in esse Legi subiectum, ut eos qui sub Lege erant redimeret.*

*Septimo*, Si Christus Legem pro nobis non implevit, tum adhuc à nobis est implenda: quia nobis est lata ejusque observatio nobis à Deo severissimè mandata: quia Lex etiam post lapsum non tantum pœnas à nobis exigit, sed etiam perfectissimam obedientiam.

*Hec de prima questione.*

SECUNDO quæritur, *Cum justitia quæ coram Deo justificamur, sit ex fide, quomodo*

quomodo impletio Legis à Christo facta, nobis in iustitiam imputetur? RESP. Iustitia quam per fidem apprehendimus nihil est aliud quàm Legis impletio, sed à Christo facta: primò quia nulla alia est in Dei conspectu iustitia, quàm quæ in perfectissima Legis divinæ impletione consistit. Iustitia Legalis & Euangelica non differunt materiâ & formâ. Non materiâ, quòd utraqùe sit obedientia quæ præstatur Deo: non formâ, quòd utriusque norma sit Lex Dei. Deus enim nullam aliam iustitiam agnoscit, nullâ aliam iustitiam probat, quàm illam ipsam quæ Lege describitur, quam qui assequi non possunt, ij mortis æternæ rei pronunciantur. Sed efficiente & sine differunt: Efficiente, quia iustitia legalis intelligitur perfecta obedientia, præstita ab illo ipso homine, qui iustus ab illa censetur: Euangelica autem, est perfecta Legis impletio, non quidem præstita ab ipso homine qui iustus ab ea censetur, sed à Christo nostro nomine & loco, ut nobis imputetur. Fine etiam differunt: nam finis Euangelicæ iustitiæ est gloria in misericordiae Dei: Legalis verò iustitiæ finis est gloria hominis, quia si eam præstaret, haberet de quo gloriaretur apud Deum. Non pugnant ergo, eandem iustitiam esse ex Lege & non esse ex lege sed ex fide. Est ex lege, respectu Christi, qui legem implevit. Eadem nõ est ex lege respectu nostri, quia legem ipsi non implevimus, sed est ex fide, quia eam à Christo loco nostro præstitam, non aliter accipimus, quàm fide. Quin ex solutio pœnarum pro nobis, & ipsa est ex Lege, Christi respectu, non minùs atque mandatorum observatio. Lex enim est quæ obligat ad pœnâ: Lex exegit à nobis pœnam quam Christus tulit pro nobis: & tamen nostri respectu est ex fide, hoc est, nobis per fidem imputatur. 2. Quia Christus iustitiam Legis non abolevit: Non enim venit solvere Legem, sed implere Matth. 5. v. 17. Condemnavit Deus peccatum in carne, ut jus Legis compleatur in nobis Rom. 8. v. 3. & 4. Huc facit quod Paulus ait Rom. 3. v. 31. Legem igitur inutilem reddimus per fidem? Absit: nõ Legem stabilimus.

TERTIO quæritur, Si obedientia vitæ Christi nobis ad iustitiam imputatur, an opus fuerit Christum pro nobis mori? Ac videtur, causam nullam relictam fuisse, cur pro nobis moreretur, si fuerimus iusti constituti obedientiâ vitæ. RESP. Utroque opus fuit, & ut Christus moreretur pro nobis iniustis, quòd nos à morte æterna liberaret: & ut obedientiâ mādatis Legis præstitâ nostram inobedientiam pensaret. Præceptis enim Legis satisfieri nequit, nisi faciendo illa: comminationi verò pœnæ præceptis additæ satisfieri non potest, nisi ex solvendo pœnam. Ita pœnam nobis debitam, Christus ferendo pœnam abstulit: inobedientiam verò nostram suâ obedientiâ texit & abolevit. Docuit idem orthodoxa antiquitas. Justinus Martyr in Expositione fidei de recta Cõfessione, pag. 299. editionis Comelinianæ, sic ait: Quandoquidẽ peccato suo Adam morti genus humanum subiecit & naturam eternam debito obnoxiam reddidit: quòd Filius & Deus esset & homo transgressionem lapsamq; Adæ revocavit atq; abolevit: ac quas

tenus homo, cum sine crimine innocenter vitam egit, tum voluntariam subijt mortem; per conversationem quidem summam & exactam lapsum evacuans [apostolus], ut textus Græcus habet, id est, è conspectu auferens vel evanescere faciens: ] per mortem autē in debitam, debitum exstinguens: quatenus vel à Deo, & quod solutum erat restituit, & mortem ipsam prorsus solvit. Sic Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 20. ait: *Erat enim homo pro patribus certans, & per obedientiam inobedientiam persolvēs.* Ergo Christus inobedientiam nostram sua obedientia abolevit, mortem verò nobis debitam sua morte delevit. Deinde observatio mandatorum Legis & persolutio pœnæ pro nobis, sunt partes unius obedientiæ Christi, per cujus totius obedientiæ inputationem justificamur: itaque unâ partium positâ, non evenit altera. Tum perfecta mandatorum Legis observatio non est restringenda ad illud exinanitionis Christi tempus, quod magnum illum passionis agonem antecessit: nec passio Christi restringenda ad ultimum illum exinanitionis Christi colophonem, quo proditus, captus, crucifixus & interfectus est. Nam toto exinanitionis tempore à principio ejus usque ad finem, simul & egit quæ Lex mandat & passus est. Nam quòd in paupercula matre conceptus, quòd in summa paupertate & neglectu in loco incòmodissimo, nempe in stabulo pecorum natus, quòd circumciscus, quòd ad necem ab Herode questus, quòd ab eo persecutionem passus est, quòd in Ægypto exsulavit, quòd non habuit ubi caput reclinaret, quòd maledictis & convitiis impetitus, quòd infidiæ ipsi structæ, quòd cedere coactus hostibus, quòd sæpius ferè lapidatus, quòd esurivit, quòd sitivit, quòd aliis infirmitatibus obnoxius fuit, donec caperetur in horto, ad passionem pertinuit, quâ pœnas pro peccatis nostris exsolvebat: & quòd cum captus in horto, ac deinceps in judiciū ad tribunalia Ecclesiastica ac politica tractus, colaphis cæsus aliisq; multis injuriis affectus, ac deniq; cruci affixus, Deum dilexit ex toto animo, quâvis ab eo percuteretur: quòd dilexit eos propter quos percutiebatur, imò & hostes suos à quib; indignis modis tractabatur, pro quibus orare non dubitavit, id ad præceptorū Legis observationē spectavit. Utrumq; autem Christus non pro justis, sed pro injustis præstitit. Adhæc nos loquentes de obedientia Christi per totâ vitam præstita Legi, non loquimur solūmodo de illo vitæ Christi spacio, quod extremum illum, solennemq; passionis actum antegressum est, sed etiam de illo, quod secutū est, donec in cruce traderet spiritū Patri. Oportuit enim Legis obedientiam non inchoatam esse, sed cōsummatam & usq; ad ultimū anhelitum in cruce nunquam interruptam, nūquam cessantem, ita ut ne in ultimo quidem vitæ momento Christus ullum peccatum vel verbo vel cogitatione vel affectu vel cupiditate saltem cōmitteret. Causa verò cur pro nobis moreretur maximè relicta fuit: nam nō tantū inobedientia nostra erat abolenda per ejus obedientiâ, sed etiam mors nobis incumbens, auferenda per ejus mortem. Quid quod Legis  
observa

observatio & perfectissima impletio, consistens in constanti dilectione Dei & nostri, debuit præcipuè in magnè illius passionis agone elucere: Quod enim clarius, expressius, certius documentū dilectionis esse potuit, quàm quòd mortem adiit, ut Patris mandato obediret & animam suam daret in redemptionis pretium pro multis: Hoc testatur Dominus ipse cùm passionē suam aditurus ait: Ioh. 14. v. 31. *Ut norit mandus, quòd ego Patrem diligo, & pro ut mādavit mihi Pater, ita facio; surgite, abeamus hinc.* Christus igitur adiit nostrā causā mortem, ut obediret Patri: obedivit autē Patri, quia diligebat eum. Hoc testatur Paulus, cùm ait Gal. 2. v. 20. *Unā cum Christo crucifixus sum. Vivo autē non amplius ego: sed vivit in me Christus: & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Dilectionis igitur Christi in nos, omniū manifestissimum documentum fuit, quòd se pro nobis tradidit. Docet hoc Dominus ipse cùm ait Ioh. 15. v. 13. *Majorem charitatem nullus habet, quàm istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.* Testimonium perhibet & Iohānes Evangelista, qui cap. 13. v. 1. ait: *Ante festum autē Passchæ, sciens Iesus venisse horam illam suam, quā digrederetur ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos illos qui erant in mundo, usq; ad finem dilexit eos.* Opus igitur erat, ut Christus toto vitæ suæ mortalis cursu, à principio usq; ad finem, præcipuè verò in extrema illa passione sua & morte testatū redderet, se diligere Patrem ex toto corde, se diligere etiam nos; & hanc dilectionem ostenderet obedientiā, per quam iusti constituimur.

QUARTO quæritur, *Si obedientia vitæ Christi nobis in justitiam imputatur, cur Christus pro nobis mortuus sit; cùm Lex obliget vel ad obedientiam vel ad pœnam, non simul ad utramq;.* RES P. Enunciatio hæc, *Lex obligat vel ad obedientiā vel ad pœnam*, si pro disjunctiva habeatur, nec expressè in Scriptura exstat, nec ex ea colligi potest: Nam Lex Adamo lata non erat disjunctiva. Nec enim dixit Deus: Aut abstine à fructu arboris scientiæ boni & mali, aut morere: quasi arbitrio hominis relinqueret electionē alterius è disjunctis, vel alterius modi satis faciendi Legi. Nam mandatis uno tantum modo satisfieri potest, quem modum ipsa Lex præscribit, nempe faciendo mandata: sicut cōminationi additæ Legi uno tantum modo satisfieri potest, videlicet perferendo pœnam quam Deus est cōminatus. Quid igitur? Deus in Lege Adamo lata unā exigebat obedientiam: ut autem ad eam præstandam Adamum constringeret, addidit comminationem pœnæ: comminatio autem pœnæ non est mandatum, sed est mandato annexa: estq; comminatio conditionalis: *Morte morieris, scilicet nisi obedieris.* Idem statuedum est de Lege Decalogi. Potest tamen concedi illa enunciatio, *Lex obligat vel ad obedientiam, vel ad pœnam*: rectè intellecta. Ea igitur est primò *declarāda*, deinde *distinguenda*. *Declarāda* est, ut tollatur obscuritas: Sensus autē ejus est: *Lex exigit perfectissimā & omnib. numeris absolutissimā obedientiam: nisi verò obedientia præstita fuerit qualē requirit, tū exigit pœnā;*

Non est autem ejus sensus; Legi penitus satisfieri ut quis perferat pœnas, etiamsi obedientia mandatis non sit præstita. Deinde est *distinguenda*: quemadmodum status hominis, cui Lex est lata, distingui debet. Hominem integrum & quantisper obedientiam præstabat Deo, Lex non obligabat simul ad pœnam: pœnæ enim locus esse non poterat, ubi causa pœnæ non erat. Hominem verò lapsum obligat Lex ad utrumque: nam ad pœnam obligat, propter inobedientiam, interim manente ac neutiquam sublata obligatione ad præstandam perfectissimam obedientiam. Hominem, inquam, lapsum obligat Lex ad utrumque, & ad pœnam & ad obedientiam. Ad pœnam, quia inobedientes fuimus in Adamo: ideo in peccato originis concipimur & nascimur, quod peccatum est pœna primæ inobedientiæ, ideo naturam omnes sumus filij ire & mortui in peccatis; hinc etiam peccatis actualibus ipsi Legem Dei transgredimur & pœnam augemus. Ad obedientiam verò perfectissimam nos etiam post lapsum Lex obligat: quia eam obedientiam à nobis requirit severissimè, mandans ut Deum diligamus ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex omnibus viribus nostris: & proximum nostrum, ut nos ipsos: mandans ut non habeamus deos alienos præter unicum illum Deum Israëlitis; ut ne faciamus ullam similitudinem & quæ sequuntur in Decalogo, qui certè nos omnes, licet lapsos & propter lapsum pœnæ obnoxios factos, ad præstationem perfectissimæ obedientiæ obstringit. Non tantum integrum, sed etiam lapsum hominem Lex obligat ad perfectissimum obsequium exhibendum. Ergo hominem lapsum Lex obligat ad utrumque; & ad pœnam propter lapsum, & ad perfectissimam obedientiam. At quia impossibile fuit homini vel alterutram persolvere, nedum utramque; ab utraque eum liberari oportuit per Christum qui Sponsor est factus non pro homine integro, sed pro lapsos; & homo lapsus ab obligatione quidem ad perfectam obedientiam in hac vita præstandam liberatus est præstatione perfectissimæ obedientiæ, ab obligatione autem ad pœnam liberatus est persolutione pœnæ. Unde justificatus per Christum, est solutus utraque obligatione. Nam quia Christus Legi perfectissimam obedientiam loco nostro præstitit, ut per illam justii constitueremur; nos ad perfectissimam obedientiam in hac vita præstandam, per quam justii fiamus, non sumus amplius in hac vita obligati: Et quia idem Christus pœnam inobedientiæ nostram cõmeritam pro nobis sustinuit, ad eam perferendam nos non amplius sumus obligati. Præterea distingui oportet inter homines damnandos & servandos. A damnandis Deus tantum exigit pœnam: à servandis verò & pœnam & perfectissimam impletionem mandatorum, quam utramque pro servandis præstitit sponsor ipsorum

CHRISTUS.

QUINTO' quæritur, Si Vita Christi sancta nobis imputaretur, nos ad aliam Vitæ sanctitatem obstricti non essemus: At nos ad aliam Vitæ sanctitatem obstricti sumus

*Esti sumus: Quomodo ergo vita Christi sancta nobis imputatur?* RES P. Propositio est falsa: nec enim sequitur, nos ad aliam vitæ sanctitatem obstrictos non esse; sed, nos ad eandem quam Christus loco nostro habuit, obstrictos non esse. Qualis autem fuit sanctitas vitæ Christi? Talis omnino, qualem Lex requirit, absolutissima, perfectissima, integerrima, quæ sola in iudicio Dei possit subsistere. At justificatorum sanctitas qualis est? Multis modis imperfecta atque contaminata vitiis & infirmitatibus variis. Oportet igitur perfectissimam illam vitæ Christi sanctitatem nobis imputari, si in iudicio Dei subsistere velimus.

SEXTO quæritur, *Si vita Christi sancta nobis imputaretur, ad pœnæ illius exsolutionem obstricti esse nunquam possemus. At verò ad pœnæ exsolutionem obstricti sumus: Quomodo ergo vita Christi sancta nobis imputatur?* RES P. Propositio esset vera, si nos post lapsum, ad pœnam solummodo obligati fuissetis. At nos quotquot in Adamo lapsi & in peccato concepti & nati sumus, ad utrumq; obligati fuimus: ad pœnam, quia inobedientes fuimus in Adamo: ad sanctitatem vitæ integerrimam, quia eam à nobis etiam post lapsum Deus requirit, ut ex Decalogo liquet. Ergo ab utraq; obligatione nos liberari oportuit; ab obligatione quidè ad pœnam, exsolutione pœnæ: ab obligatione verò præstandi perfectissimam omnibus numeris obedientiam, præstatione talis obedientiæ.

SEPTIMO quæritur, *Si Christus loco nostro perfectissimam obedientiam mandatis Legis præstitit, an nos ad obedientiam simus obligati, ac non potius omni obedientiæ obligatione soluti?* RES P. Justificatus propter Christum, obligatus est quidem ad obedientiam, ut ad gratitudinis pro redemptionis beneficio documentum, non autem ut ad satisfactionem pro seipso vel meritum. Deinde justificatus non est amplius in hac vita obstrictus ad præstandam perfectissimam illam obedientiam, qualem Lex requirit: ab hujus enim rigida exactione Christus nos liberavit: atque hic est primus gradus libertatis Christianæ, quam Filius Dei nobis est dignatus afferre.

OCTAVO quæritur, *Quomodo per sanctam Christi vitam iusti sumus effecti cum Deus nos in Christo puniverit?* RES P. Primò non est dicendum, nos justos effectos esse: nam hæc oratio vel Papisimum vel Osiandristimum respicit. Papistæ enim contendunt, nos justos effici coram Deo, non autem reputari vel pro justis haberi: Osiander etiam contendeat, justificari esse, non solum reconciliari Deo gratuita veniâ, sed etiam justos effici. Deinde non dicimus, nos justos effectos per sanctam vitam Christi, sed docemus, nos justos constitutos per obedientiam quam Christus præstitit Patri toto vitæ suæ cursu usque ad mortem crucis. Tertio, neutiquam propriè loquendo sumus puniti in Christo, cum Scriptura disertè doceat, nos esse justificados in Christo. Quòd si sumus in Christo justificati & absoluti, non igitur damnati & puniti Ephes. i. v. 6. ait Paulus de Deo: *Nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto.* Nos ergo

Deus non punivit, sed omnium nostrum pœnam Christo imposuit, sicut dicitur Jesa. 53. v. 6. *Jehova: facit ut incurrat in eum iniquitas omnium nostrum.* Christus torcular calcavit solus, nos non calcavimus. Neque verò idem est, nos esse punitos in Christo, & Christum esse punitum pro nobis seu loco nostro. Nam si Christus est punitus loco nostro; sequitur nos non esse punitos, sed pœnam nobis esse remissam. Et quid quæso est aliud remissio peccatorum, quàm condonatio & culpæ & pœnæ? Quomodo igitur hæc consentient, Deum nobis remisisse peccata, & tamen punivisse nos propter eadem? Proinde sic ex Scriptura statuendum, Deum Christo pœnam nostrorum peccatorum imposuisse, ut nobis illam remitteret: proprio Filio suo non pepercisse, ut nobis parceret. At si doctrina illa, nos esse punitos in Christo, intelligatur de imputatione & communionem, nimirum pœnam quam Christus sustinuit nobis imputari, ac si nos illam exsolvissemus: libentissimè à nobis conceditur.

NONO quæritur, *Quomodo nobis Christus justitiam illam sempiternam acquisiverit ante mortem idè sanctè vivendo; cum ideo mortuus sit, ut justitiam illam nobis acquireret, sicut dicitur 2. Cor. 5. v. ult. Eum qui non novit peccatū, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo?* RESP. Primum oportuit justitiam illam nobis acquiri præstatione integræ obedientiæ: talis autem esse non potuit ante cōsummationem ejus in cruce factam & ante completam finitamq; exinanitionem. Oportuit Christum obedientiam suam Patri probare usque ad mortem crucis, ac proinde toto vitæ suæ cursu usque ad ejus finem. Requiritur ad veram obedientiam, obediendi stabilitas & constantia: proinde nos per obedientiam Christi, per quam justii constituimur, non intelligimus tantum sanctam vitam Christi, ante magnum illum passionis & mortis agonem peractam, sed perfectissimam & constantem Legis præstationem ab initio vitæ usque ad finem illius in cruce, ab initio exinationis usq; ad finem. Perfectam autem obedientiam à Christo præstitam fuisse, certissimum testimonium fuit resurrectio ejus ex mortuis, & victoria quæ ex morte emerfit. Vincere enim mortem & resurgere potenter non potuisset, nisi perfectam Patri obedientiam præstitisset. Quapropter cum Paulus Rom. 4. vers. ult. dixisset, *Christum traditum propter lapsus nostros*, subjunxit, *esse suscitatum ad nostri justificationem.* Christus morte sua perfectus est satisfactio, ita ut non simus jam sub reato, nec simus obnoxij judicio æternæ mortis: resurrectione tamen justitiam nobis peperit, sicuti acquisivit vitam æternam. Præclare hoc docet Calvinus Institution. lib. 2. cap. 16. sect. 5. ubi ait: *Jam ubi quæritur, quomodo abolitis peccatis subsidium Christus inter nos & Deum sustulerit, & justitiam acquisiverit que cum nobis faventem ac benevolentem redderet: generaliter responderi potest, toto obedientiæ suæ cursu hoc nobis præstitisse. Quod Pauli testimonio probatur Quomodo unius transgressione peccatores multi sunt constituti, sic unius obediens*

obedientiâ justî constituitur. Et sanè alibi causam veniæ quæ nos eximit à maledictione Legis, extendit ad totam Christi vitam, Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, subiectum Legi; ut eos qui sub Lege erant redimeret. Ita in ipso quoque Baptismo asseruit impleri justitiæ partem quod obediens Patris mandatum perageret. Deniq; ex quo induit formam servi, cepit ad nos redimendos pretium liberationis persolvere. Et paulò pòst: In Symbolo fidei quod Apostolicum vocant, optimo ordine statim à natalibus Christi fit transitus ad mortem & resurrectionem, ubi perfectæ salutis summa consistit. Neque tamen excluditur reliqua pars obedientiæ quæ defunctus est in vita: sicuti Paulus ab initio ad finem usque totam comprehendit, quòd seipsum exinanerit, formâ servi acceptâ, & Patri fuerit obediens usque ad mortem: nempe mortem crucis. Et sanè in ipsa quoque primum gradum occupat voluntaria subjectio: quia ad justitiâ nihil profuisset sacrificium nisi sponte oblatum. Hactenus verba Calvinii. Secundò, ex dicto Pauli 2. Corinth. 5. vers. ult. colligi nequit, solâ morte Christi, justitiâ nobis acquisitam. Nam quòd Christus pro nobis dicitur factus peccatum, non intelligendum solummodo, quia victima pro peccato sit factus, sed etiam quia cum esset à peccato alienus, constitutus sit peccator non in sese, sed ex omnium nostrorum peccatorum reatu ipsi imputato. Idque evincit oppositum membrum: ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Quemadmodum enim nos effecti sumus justitia DEI in Christo, ita Christus factus est pro nobis peccatum. Atqui nos effecti sumus justitia Dei in Christo imputatione. Ergo & ipse imputatione factus fuit peccatum: Ut intelligamus, Filium DEI omni vitio purissimum, iniquitatum tamen nostrarum probrum ac ignominiam induisse, ac sua vicissim puritate nos induisse. Imò victima pro nobis peccatoribus fieri non potuit, nisi imputatione nostrorum peccatorum pro peccatore habitus fuisset: sicut dicitur Jesaiæ 53. v. ult. Cum defectoribus annumeratus est; nam ipse peccatum multorum proferens pro defectoribus intercessit.

DECIMO quæritur, Quomodo Christi sanctitas & obedientia Legis præceptis præstita nobis in justitiâ imputetur, cum Christus sanctus fuerit, & sanctè vixerit pro se, ut creatura debens pro se Legi obedientiam, non autem pro nobis, licet propter nos? RES P. Duo in hac quæstione conjunguntur: unum est, quòd Christus pro se sanctus fuerit & pro se sanctè vixerit, ut creatura debens pro se Legi obedientiam: alterum, quòd Christus non pro nobis sanctus fuerit, nec pro nobis sanctè vixerit, sed tantum propter nos. Quòd ad primum attinet, agnoscimus Christum quòd ad carnem, creaturam esse; agnoscimus etiam Legi subiectum factum fuisse, atque inde naturam humanam à divina in Christo discernimus: nam DEUS tantum existens Christus, Legi subjici non potuisset. Sed propterea non debuit Legi obedientiam, quòd esset creatura, nam debitum præstandi obedientiam Legi, non tam pendet à creatione, quam

à voluntate Legislatoris Dei: sicut Adamus Legi subiectus non fuit, donec Legem Deus tulisset, eiq; Adamum subiecisset. Gen. 2. vers. 16. Adamus Legi obedientiã præstare tenebatur, nõ tam qui creatus fuit, quàm quia Deus voluit, quia Deus ipsi Legẽ tulit, qui Deus ipsum Legi subiecit eiq; injunxit ut Legi obedientiam præstaret. Alioquin & bestia irrationalis ut canes, equi, boves, Legi obedientiã præstare tenerentur: nam & ipsa sunt creaturæ. At quis non intelligit, Leges tantum præditis intelligentiã ferri? Ita Adamus Legi de non comedendo fructu arboris scientiã boni & mali, subiectus fuit, non tam propterea quia creatura erat, hoc enim ipsi cõmune erat cū bestiis: sed quia Deus eum Legi subiecerat. Tum etiam si concederetur, hominem Legi subiectum esse, quia creatura est: tamen pro se nemo Legi subicitur, nisi qui pro se creatura est. At Christus non factus est creatura pro se: non enim necesse fuit illum hominem fieri pro se. *D. cant. qui audent.* (scribit Augustinus tomo 7 lib. 1. de peccatorũ meritis & remissione cap. 27.) *oport. esse nasci Christum in similitudine carnis peccati, nisi nos nati essemus in carne peccati.* Christum pro se esse incarnatum, tanquam absurdum ex Arianorũ sententiã deducit Cyrillus Thesauri lib. 3. cap. 2. Deinde Christus non venit ut satisfaceret legi pro se: Quid enim opus erat ipsi satisfactione Legis pro se? Cũ igitur Christus non fuerit factus creatura pro se, sequitur nec mandata Legis implevisse pro se. Cæterum generaliter hoc verum est, illum teneri obedientiam præstare Legi, cui Lex est lata, quem Legislator ad obediendum Legi obstrinxit, vel qui se ipse ultrò Legi subiecit. Sicut leges reipublicæ Venetæ nos non obligant, quia nobis nõ sunt latæ. Jam videamus, cui Decalogus sit latus.

Ad quos pertinent Legis fines, iisdem est lata. Fines autem Legis alij, cõpetunt Legi ante & post lapsum hominis, alij tantum post lapsum. Fines qui Legi ante & post lapsum hominis æqualiter competunt, duo sunt; primus ut doceat voluntatem Dei; secundus ut contineat in obsequio voluntatis Dei. Fines legi tantum post lapsum hominis convenientes vel cõmunes sunt electis & reprobis, vel propriè ad alterutros spectant. Communes sunt duo: 1. ut doceat eos agnoscere peccatorum suorum morbos: 2. ut excitet ad quærẽdum remedium. Propriè ad electos pertinent duo.

1. Ut eos ducat ad Christũ q. est finis Legis ad iustitiã cuius credenti.
2. Ut excitet & augeat in illis desiderium perfectionis.

Propriè ad reprobos pertinent duo: 1. ut ipsos reddat inexcusabiles. 2. ut ipsos magis induret. His positis dispiciamus, an Lex nobis imposita, sit etiam Christo quatenus homo est lata. Dicimus autem non esse eitam: quam sententiam ita demonstramus.

1. *Illis solis Lex lata est, ad quos pertinent Legis fines:*

*Atqui ad Christum quatenus est homo nullus finis Legis pertinet:*

*Ergo Christo lata non est.*

Assumptionem probat inductio: Nam prin<sup>o</sup> certum est fines Legi post lapsum peculiariter competentes Christum non attingere: quoniam enim non peccavit ideo nec peccatorum suorum agnitione, nec remediis indagatione opus habuit, &c. Hoc est extra controversiam. De finibus verò prinis duobus ambigi potest: at neuter ad Christum pertinet. Nec enim ex Lege Mosis discere & agnoscere voluntatem Dei necesse habuit humanitas Christi, quæ immediatè de omnibus edocebatur ab æterno *λόγῳ*, cui personaliter est unita: nec mediatè cognoscere debuit voluntatem Dei illa natura, secundùm quam non minùs ac secundùm divinam naturam summus Propheta ac Doctor est Dominus Jesus; cùm alij Prophetae & Apostoli hac prerogativâ sint ornati, quòd non mediatè, sed immediatè à Deo edocti sint. Deinde non erat necesse, ut Lex nobis lata, Christum in obsequio voluntatis divinæ contineret: Nec enim periculum erat, Christum peccaturum. Regimen verò legis ad eos pertinet, qui vel peccare possunt & periculo lapsus sunt obnoxij, ut Adamus recens creatus: vel jam peccarunt & amplius peccare possunt, ac proinde ne peccent freno egent: ut Adamus post lapsum & omnes posterij ipsius. Christi verò humanitas ab omni lapsus periculo semper immunis fuit, est, & erit.

II. *Qui est finis Legis, ei Lex non est lata:*

*Christus est finis Legis. Ergo, &c.*

Propositionis veritas est naturalis: impossibile enim est, ut finitum præstantius sit ipso fine: ut finitum sit supra finem.

III. *Qui est supra Legem nobis latam, ei lex non est lata:*

*Christus etiam quatenus homo est supra legem nobis latam. Ergo.*

Assumptionis veritas inde patet: quia est cum *λόγῳ* una persona: Deinde ideo Spiritus Sanctus tantopere prædicat beneficium illud Christi, quòd se subjecit Legi pro nobis, quia per se est superior Lege. Quorsum tantopere commendaret Scriptura servitutem & submissionem Christi, quàm se Legi subjecit, si pro se obligatus fuisset Legi se subicere? Nonne servus inutilis est qui fecit quod facere debuit?

IV. *Qui est Dominus Legis, ei lex non est lata:*

*Christus est Dominus Legis etiam quia homo: Ergo.*

Assumptionis probatio: quia est Dominus ut salutis, ita omnium mediocorum salutis: at Lex medium salutis nostræ provehendæ. Propterea etiam Christus se Dominum Sabbathi esse asseruit.

Quam igitur Christo Lex lata non sit: colligimus inde, eum pro se Legi obedientem non fuisse, pro se legem non implevisse.

Confirmant eandem sententiam alia quoque argumenta, nempe:

*Qui non est pro se incarnatus, is Legem etiam pro se non implevit:*

*At Christus non est pro se incarnatus: sed pro nobis.* Non enim sibi, sed nobis prodesse voluit: non suam, sed nostram causam venit. Ita finis adventus Christi in carnem ostendit, eum pro se Legem non servasse. *Cyrillus*

lib. 2. in Johan. cap. 3. pag. 25. Edition. Cratandrianæ: Non propter seipsum homo factus est, sed ut cælestium bonorum via nobis & janua fiat.

Deinde, Si pro se Christus Legem implevit, tum sibi aliquid est meritis. At posterius est absurdum. Ergo & prius.

*Responsum est ad primum, quod est in hac questione.*

Secundū est, An Christus propter nos quidē legem servaverit, sed non pro nobis? RES P. Et propter nos Legem Christus servavit & pro nobis: nam propter nos & pro nobis ex Scripturæ sensu sunt idem: Sicut Paulus dicit, Christum mortuum esse propter nos 1. Cor. 8. v. 11. *Et tuā istā notitiā, frater qui infirmus est, propter quem Christus est mortuus, peribis?* Idem dicit, Christum mortuum esse pro nobis Rom. 5. v. 8. Similiter orthodoxa antiquitatis pro iisdem sumsit: Hinc dicunt Irenæus, Justinus Martyr, Ambrosius, Cyrillus, Christum pro nobis esse incarnatum, pro nobis natum, pro nobis obedivisse Patri, pro nobis ex mortuis resurrexisse, pro nobis exaltatum & glorificatum esse, pro nobis nunc quoque subiectum esse Patri: eadem dicunt facta propter nos.

Replicari solent duo: Primò ita differre pro nobis & propter nos, ut pro nobis sit idem, quod loco nostro: propter nos verò, ad utilitatem nostram. Secundò quæcunq; Christus pro nobis fecit, ad eadem faciendam nos non teneri: at quæ propter nos fecit, ad illa faciendam nos etiam teneri. RES P. Discrimen illud inter pro nobis & propter nos, vanum est: nam quæ loco nostro fiunt, nonne ad utilitatem nostram fiunt: nonne bono & commodo nostro fiunt? Quum Christus pro nobis, hoc est, loco nostro, passus & mortuus est: nonne ad nostram utilitatem? nonne bono nostro passus & mortuus est? Deinde enunciatio illa, *Quæcunq; Christus pro nobis fecit, ad illa faciendam nos non tenemur*: simpliciter accepta est falsa: non tenemur ad ea faciendam quæ Christus pro nobis fecit, scilicet, eodem modo & eodem fine, quo Christus: sed alio modo & fine certè tenemur. Ut Christus pro nobis Legem servavit, pro nobis oravit, passus est & mortuus, pro nobis ingressus est in cæleste sacrarium, Hebr. 6. vers. ult. sed ut Mediator noster modo perfectissimo, & eo fine ut nobis remissionem peccatorum, justitiam, ingressum in cælos & vitam æternam promereretur: ut nobis cælum referaret. Nos verò legem servamus imperfectè & non ut mediatores nostri vel aliorum: nec eo fine ut observatione Legis vitam promereamur, sed ut gratitudinem nostram in Deum testatam faciamus & propter alios fines. Sic tenemur orare, pati, mori, sic in cæleste etiam sacrarium ingrediemur, ὅπως ἡ πόλις τοῦ Θεοῦ ἡμεῖς ἀσπυνοῦμεν Ἰησοῦς verum vt dixi, alio modo & fine quàm Christus. Altera etiam enunciatio, *Quæ Christus propter nos fecit, ad illa faciendam nos quoque tenemur*: simpliciter accepta, falsa est. Nam Christus propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo ut Symbolum Nicænum habet: propter nos conceptus est de Spiritu sancto: propter nos natus ex virgine Maria: propter nos Legem

perfe-

perfectissimè servavit: propter nos miracula fecit: num igitur ad hæc faciendâ nos tenemur? num hæc facere nobis est concessum? Quin hæc duæ enunciationes se mutuò evertunt, quia ex illis contradicentia sequuntur. Quam enim Scriptura utrumque dicat, & Christum mortuum pro nobis & Christum mortuum propter nos: ex illo sequetur, nos non teneri ut moriamur; ex hoc autem, nos teneri, ut moriamur. Ita tenebimur mori & non tenebimur mori.

Porro operæpretium est, ut de iis quæ Christus pro nobis fecit, nonnulla addamus axiomata. Primum est, *Quicquid Scriptura dicit, Christum PRO NOBIS fecisse, id hunc sensum habet, ac si diceret, PROPTER NOS seu NOSTRA CAUSA seu nostro bono & commodo seu ad redimendos nos, ad promerendum nobis vitam & salutem æternam.*

Matth. 20. v. 28. dicitur, quod dederit animam suam in redemptionis pretium pro multis; In Græco est *ὑπὲρ πολλῶν*. Similiter Marc. 10. v. 45.

Matth. 26. v. 28. dicitur quod sanguis Christi pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Textus Græcus habet, *ὑπὲρ πολλῶν*. Similiter est Marc. 14. v. 24. Lucas verò cap. 22. v. 20. habet *ὑπὲρ ὑμῶν*, Paulus 1. Cor. 11. v. 24. loquens de corpore Christi ait, *ὑπὲρ ὑμῶν κλάσθησθαι*, quod pro vobis frangitur. Ita phrasæ istæ, *ὑπὲρ πολλῶν*, *ὑπὲρ ὑμῶν* & *ὑπὲρ ὑμῶν* æquipollent. Joh. 10. v. 15. ait Dominus, quod ponat animam suam pro ovibus: *ὑπὲρ τῶν προβάτων*. Sic cap. 11. v. 51. 52. dicit Johannes, quod Cajaphas Pontifex Maximus cum dixisset: *Vos nihil scitis: Nec cogitatis conducere nobis ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat: prophetavit fore, ut Jesus pro gente moreretur. Nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos cogeret in unum.* Hic ubiq; *ὑπὲρ* usurpatur.

Rom. 8. ver. 32. ait Paulus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.*

In his & similibus locis omnibus, Christum passum & mortuum esse pro nobis, idem certè valet, quod propter nos seu nostrâ causâ seu redimendi nostri causâ, ad expiandâ nostrâ peccata, ad promerendam nobis remissionem peccatorum. Sic enim ipsa Scriptura in locis analogis se interpretatur. Nam pro eo quod in allegatis locis dicit Christum mortuum esse pro nobis, alibi dicit esse mortuum propter nos, ut 1. Cor. 8. v. 11. dedisse carnem suam pro mundi vita Joh. 6. v. 51. hoc est, ad promerendam & afferendam nobis vitam atque salutem sempiternam, mortuum esse pro peccatis nostris 1. Cor. 15. v. 3. dedisse semetipsum pro peccatis nostris Gal. 1. v. 4. ad peccatum per immolationem sui ipsius abolendum Hebr. 9. v. 26. unam pro peccatis obtulisse in perpetuum victimam Hebr. 10. v. 12. passum esse pro peccatis 1. Pet. 3. v. 18. esse propitiationem pro peccatis nostris 1. Joh. 2. v. 2.

Secundum axioma. *Quæ Christus pro nobis fecit, nequaquam ita fecit nostro nomine, nostro loco & vice nostra, ut non sit necessum nos eadem facere.* Id ex sequentibus argumētis liquet: 1. quia doctrina hæc, nempe non esse ne-

cessum nos facere quæ Christus pro nobis fecit, pugnat cum Scriptura. Christus enim rogavit pro nobis: sicut ipsemet ait Ioh. 17. v. 9. *se rogare pro eis quos ipse Pater dedit: & v. 20. ait: Non tantum autem pro illis rogo, sed & pro iis, qui per Sermonem eorum credituri sunt in me.* Nunquid igitur non est necesse nos rogare Deum pro nobis & pro aliis quia Christus pro nobis rogavit? Atqui mandatum Domini est: *Orate alij pro alijs* Iac. 5. v. 16. Si quis excipiat: Ioh. 17. v. 9. esse in Græca *ὑπὲρ ἑωυτοῦ καὶ ὑπὲρ αὐτῶν*, item v. 20. *ὑπὲρ τῶν πιστευόντων*, non autem *ὑπὲρ αὐτῶν*, item, *ὑπὲρ τῶν πιστευόντων*: sicut Christus passus & mortuus est *ὑπὲρ ἡμῶν*: Ei respondeo, phrasæ hæcæ Græcas æquipollere. Sicut enim dicitur, Christi sanguinem effusum esse *ὑπὲρ ἡμῶν* Luc. 22. ver. 20. Ita dicitur eundem effusum, esse *ὑπὲρ πολλῶν* Matth. 26. v. 28. Similiter usurpantur pro iisdem, *ἑνὸς αἵματος ὑπὲρ ἄλλων* & *ἑνὸς αἵματος ὑπὲρ ἄλλων*. Ephes. 6. v. 18. ait Paulus, *ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἡμῶν ὡς ἑνὸς ἡμῶν*. Iacob 5. v. 16. dicitur, *ἑνὸς αἵματος ὑπὲρ ἄλλων*. Vanum est igitur hoc discrimen. Verum in sequentibus in textu Græco *ὑπὲρ* usurpatur: Joh. 17. v. 19. ait Christus: *Pro iis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Christus se pro nobis sanctificavit, hoc est, cōsecravit & totum dedicavit Deo ad faciendam voluntatem ejus cū in tota vita, tum maximè in oblatione sui in sanctam victimam: Nunquid igitur non debemus nos sanctificare, hoc est, Deo consecrare, totos dedicare in usus ipsi placentes, ad faciendam ejus voluntatem, imò ad offerendum nos quoque in mortem pro nomine ejus?

Hebr. 6. v. 20. ait Paulus, quod *Christus ingressus sit in sanctuarium cælestē* *ὑπὲρ ἡμῶν*, *præcursor, pro nobis*: nunquid ergo non est necesse nos in sanctuarium, hoc est, in ipsum cælum ut explicatur Hebr. 9. v. 24. ingredi? Imò verò ingredi & optamus & optare debemus: Imò Christus propterea ingressus est, ut nobis januam cæli aperiret, ut viam ad sacrariū cælestē nobis patefaceret: *ut viam dedicaret nobis recentem & vivam, per velum, hoc est, per carnem suam.* Hebr. 10. v. 20.

*Hoc primum est argumentum.*

Secundum est, quia hæc doctrina, nō esse necesse nos facere quæ Christus fecit pro nobis, everit communionem fidelium cum Christo, sive spiritualem quis spectet mortē, sive corporalem. Nam cum Christo *plantati* coalimus conformatione mortis ejus: *velut noster homo cum eo crucifixus est: mortui sumus cum Christo*, ut Paulus docet Rom. 6. v. 5. 6. 8. Oportet nos conformari imagini Filij Dei in toleranda cruce Rom. 8. v. 29. *Si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe isti omnes fuerunt mortui* 2 Cor. 5. v. 14. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut insequeremur vestigia ipsius.* 1. Pet. 2. v. 21. Ita quod ad corporales passiones & mortem corporalem atinet, experientia quotidiana testatur, nos illis subjectos esse: licet Christus sit mortuus pro nobis. *Illud statutum est hominibus ut semel moriantur.* Hebr. 9. v. 27.

Hic incidit questio, an non generaliter verum sit, Quæ pro altero fiunt, ita alterius nomine vel loco vel vice fieri, ut ille alter illâ operâ subleuetur, sic ut non habeat necesse eadem facere? Resp. Non est generaliter verum. Nam Christus rogavit pro Petro, ne deficeret fides ejus Luc. 22. ver. 32. Num igitur non erat necesse, Petrum pro se rogare? Cùm Petrus servaretur in carcere, preces assidue fiebant ab Ecclesia ad Deum pro eo Act. 12. v. 5. Num igitur Petro precari non erat necesse? Spiritus sanctus interpellat pro nobis suspirijs inenarrabilibus Rom. 8. v. 26. Num ergo nos precari & suspirare ad Deum non debemus? Ita sepe Paulus ait se gratias egisse & orasse pro fidelibus: num igitur fidelibus non erat necesse pro se gratias Deo agere & orare? Jacobus ait cap. 5. v. 14. Egrotat aliquis inter vos? accersat presbyteros Ecclesie & orent pro eo. Num ergo ægrotati non est necesse pro se orare?

Tertium argumentum est, quia doctrina hæc, nempe non teneri nos subire quæ Christus pro nobis subiit, nititur hac falsa hypothese, nempe pœnas pro inobedientia & transgressione Legis nullas nobis fuisse inflictas, sed demum post hanc vitam infligendas, aut non esse pœnas. Atqui omnibus quicunq; generatione carnali nascimur, pœna tum in lumbis Adami, tum speciatim cuius in utero matris inflicta est. Nam quòd in peccato originali concepti & nati sumus, quòd in lapsibus & peccatis mortui sumus Eph. 2. ver. 1. quòd naturâ filij iræ sumus Eph. 2. ver. 3. est primæ inobedientiæ pœna: quòd variis calamitatibus, morti deniq; obnoxij sumus, est pœna peccati. Itaque in medias pœnas & in mediam mortem æternam præcipitati fuimus omnes. Quòd verò Christus pro nobis passus & mortuus est, id hoc sensu dicitur, ut nos ex pœnis in quibus hærebamus & hæsituri eramus liberaret & redimeret: ut nos à morte in qua eramus & mansuri fueramus nisi liberaremur, assereret in vitam. Quin & mors temporalis nobis inflicta est, ut pœna peccati: Quòd qui negat, Pelagianismum revocat. Pelagianorum enim erat error, mortem temporalem esse homini naturalem & futurâ fuisse naturalem, etiamsi non peccasset. Hanc hæresin Augustinus refutavit, ostenditque, mortem temporalem esse propter peccatû inflictam, quod verissimum est. Interim mors corporalis facta est redemptis à Christo salutaris & transitus ad vitam æternam.

#### *Hactenus secundum axioma.*

Tertium axioma hoc est: Quæ Christus pro nobis fecit, eadem nos facere tenemur, sed alio modo & sine, quàm Christus. Quæ Christus pro nobis fecit, ut Mediator fecit, modo perfectissimo, integerrimè, sanctissimè, sine ullo prorsus peccato: idque eo fine, ut pro nobis satisfaceret, ut gratiâ, remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam nobis promeretur. At nos nihil facimus nec facere possumus ut Mediatores nostri vel aliorum, & facimus bona omnia imperfectè & cum multis infirmitatibus, defectibus & vitiis: nec eo fine ut pro nobis Deo satisfaciamus,

atque à Deo quicquam promereamur, sed propter alios fines. Ita patimur, velut pro Christo. Paulus dicit. Col. 1. ver. 24. *Gaudeo de iis, quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia.* Quod dicit pro Ecclesia, non intelligit pro redemptione, pro reconciliatione Ecclesiæ, sed pro ædificatione & profectu. Quemadmodum ait 2. Tim. 2. v. 10. *se sustinere omnia propter electos, ut salutem consequantur quæ est in Christo Jesu & 2. Cor. 1. v. 6. se pro eorum consolatione & salute perferre, quas cunq; tribulationes patiebatur.* Faciebant autem afflictiones Pauli ad Ecclesiæ ædificationem pluribus modis. *Primò confirmabant veritatem Euangelij, cujus gratiã non dubitaret Paulus gravissimas persecutiones pati. Secundò exemplum erant aliis fidelibus, quod imitarentur, ut & ipsi pro nomine Christi quidvis paterentur. Tertio serviebant consolationi aliorum, qui persecutionem patientes gaudere merito poterant, quod socij sanctorum in perferendis rebus adversis essent.*

Communio autem nostra cum Christo requirit, ut *fiamus conformes imaginì ipsius, ut habeamus communionem perfectionum ejus, dum conformes simus mortì ejus.* Philip. 3. v. 10. Sic præstitit Christus pro nobis obedientiam Legi, sed perfectissimè & meritorie: nos tenemur itidem præstare obedientiam, sed in hac vita non perfectissimam illam, à cujus exactione Christus nos liberavit; nec promerendæ vitæ æternæ causâ.

Hic incidit dubitatio; *An quæ Christus pro nobis fecit, nos teneamur pro nobis facere?* RESP. Christus rogavit pro nobis & aliis electis: num igitur nos pro nobis & aliis non tenemur rogare? Rogavit ille pro nobis, & nos tenemur rogare pro nobis, sed diverso *sine & modo.* Christi oratio fuit *inæxans*, propitiatoria seu expiatoria: nostra est solummodo opus gratitudinis.

Quartum axioma: *Sicut rectè credimus, Christum pro nobis se sanctificasse, pro nobis rogasse, pro nobis passum & mortuum esse, pro nobis in celum ingressum esse, pro nobis in celo jam intercedere: ita rectè credimus, Christum pro nobis incarnatum, pro nobis hominem factum, pro nobis natum, pro nobis obedisse Patri, pro nobis resuscitatum esse, pro nobis glorificatum esse: quemadmodum rectè orthodoxa vetustas docuit, cum omnium operum mediationis Christi par sit ratio.*

Pro nobis est incarnatus, ut loquitur Irenæus lib. 1. cap. 1. pag. 32. editionis Gallasianæ. *ὁ τὸ μόνον θεῶν υἱὸς γεννητὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἀσώματος ἀσχηματιστὸς ἀειπαῖον, ὁ μόνος θεῶν ὁ ἀσώματος ὁ ἀσχηματιστὸς ὁ ἀειπαῖος, Unius Dei Unigenitus ille Filius secundum Patris beneplacitum incarnatus pro hominibus.*

Pro nobis esse natum, asseverat pluribus in locis Justinus Martyr, velut Apologia 1. pro Christianis pag. 35. Editionis Comeliniæ. *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ ἀσώματος ὁ ἀσχηματιστὸς ὁ ἀειπαῖος, ὁ μόνος θεῶν ὁ ἀσώματος ὁ ἀσχηματιστὸς ὁ ἀειπαῖος, hoc est, nam & homo, sicuti prius diximus, est factus, de Dei & Patris voluntate partu [nempe Virginis] editus pro credentibus hominibus.*  
Apolog.

Apolog. 2. pag. 66. *ἵνα ὑμῶν ἕνεκα αἰθέρα*, pro nobis homo factus.

Apologia 2. pag. 75. *ὡς ἂν ἀπὸ θεοῦ διὰ τῆς τοῦ αἰθέρα γένεσιν αἰθέρα*  
*γενέσθαι*: Nunc vero per voluntatem Dei pro humano genere homo factus.

In Dialogo cum Tryphone Judæo pag. 246. *ὅτι τὸ γεννηθῆναι αὐτῶν ἐκ τοῦ  
 πύθωνος, ὡς ἰσχυρῶς τῶν ἰσχυρῶν, ἀλλὰ τῆς τοῦ γένεσιν τοῦ τῶν αἰθέρα, ὅτι τὸ ἀπὸ τοῦ Ἀδάμ καὶ  
 διὰ τῶν ἰσχυρῶν τῶν ἰσχυρῶν τῶν ἰσχυρῶν, hoc est. Neque nasci ipse neque crucifigi,  
 ac si opus haberet istis, sustinuit, sed pro genere hominum, quod per Adam in mor-  
 tem & seductionem serpentis inciderat.*

Cyrellus Thesauri lib. 3. cap. 2 ait: Scripturæ divinæ incarnationem Filij ho-  
 minis factam prædicant ad restitutionem totius humani generis: Sin verò (ut ipse  
 nempe Ariani dicunt) exaltatus post incarnationem est Filius Dei & factus subli-  
 mis, quod antea non habebat, pro se magis incarnatus esset, quàm pro hominibus.  
 Sibi enim magis secundùm vos profuit, quàm hominibus. Ita non pro nostra salute  
 magis, quàm ut ipse exaltaretur, nomēq; maximū consequeretur, homo factus esset.

Idem Cyrillus lib. 9. Thesauri cap. 2. Quando Pontifex incarnationis nostræ  
 factus est? quando Apostolus? quando fidelis illi qui fecit eum? Tunc videlicet,  
 quando pro nobis factus est homo.

Ambrosius tomo 4. Serm. 5. in Psal. 118. Pro nobis verbum suscepit carnis  
 infirmitatem, pro nobis esurivit.

Augustin. tomo 7. in Breviculo Collationū cum Donatistis, in col-  
 latione tertij diei cap. 4. pag. 387. Ipse Christus isto tempore fuit pro illa mor-  
 talis, post resurrectionem autem jam non moritur.

Heinrichus Bullingerus Decad. 4. Serm. 1. pag. 178. & 180. editionis An-  
 ni 1572. dicit Christum pro nobis incarnatum.

Cyrellus tomo 3. libro de recta fide ad Reginas ait, Filium Dei Unigeni-  
 tum obedientem pro nobis factum Patri. Non enim fecit peccatum, neq; dolus in-  
 ventus est in ore ejus, sicut scriptum est.

Theodoretus Serm. 10. de curatione Græcarum affectionum pag. 148.  
 Edit. Comelin. Convenit autem ei in adventu suo implere justitiam pro homini-  
 bus, ac præstare obedientiam quam tantopore laudavit.

Augustin. tomo 9. tract. 15. in Johan. pag. 90. ait, carnem à Christo pro no-  
 bis assumit. Tract. 4. in Johan. pag. 14. Et opus erat Domino baptizari? Et  
 ego interrogatus citò respondeo, Opus erat Domino nasci, opus erat Domino crucifi-  
 gi, opus erat Domino mori, opus erat Domino sepeliri? Si ergo tantum suscepit pro  
 nobis humilitatem, baptismum non erat suscepturus? Ibid. Quid est impleatur  
 omnis justitia? Mori veni pro hominibus, baptizari non debeo pro hominibus?  
 Tract. III. pag. 360. Orat pro nobis, qui mortuus est pro nobis, vivitq; pro nobis.  
 August. tom. 9. pag. 780. Pugnavit rex noster pro nobis contra adversarium nos-  
 trum. Et pag. 781. Quod pro te suscepit, levavit in cælum, terrenumq; corpus fe-  
 cit cæleste, in quarta expositione Symboli ad Catechumenos.

Cyrellus lib. 9. Thesauri cap. 2. Christum docet fuisse Apostolum pro nos-  
 tris ad nos missum. Ibidem dicit, pro nobis factum esse Pontificem.

Idem de Recta fide ad Reginas fol. 135. b. Quemadmod. in contigit ipsum in

carne sua mortem pro nobis pati, ut postea infirmitatis imperiam: ita rediviscit iterum pro nobis, renovans nobis reditum ad immortalitatem.

Idem in Iohan. lib. 2. cap. 1. *Christus pro omnibus mortuus est, & pro omnibus resurrexit.* Ibid.

*Christus mortuus est, & resurrexit pro nobis peccato destructo.*

Idem Cyrillus Thesauri li. 8. c. 1. *Christus pro nobis exaltatur & glorificatur.*

Et lib. 10. cap. 8. *Subiectus nunc quoque Christus Patri est, non tamen pro omnibus, sed pro solis credentibus in eum, pro quibus seipsum tanquam immaculatum agnum Patri obtulit, ut ab omni peccato liberatos Patri offerret. Et mox: ipse quoque pro omnibus Patri subicietur.*

Hoc Ecclesiasticum & Scripturæ consentaneum dicendi genus & nos retineamus in articulis fidei nostræ declarandis.

Pariter de exinanitione Christi, de eiusdem conceptione, nativitate, paupertate, exilio & aliis Christi ad impletionem sponsonis, pro nobis factæ spectantibus operibus est loquendum.

Exinanivit se Christus non pro se, sed pro nobis. Non pro se: quia non debuit se exinanire pro se: deinde quo suo peccato cõmeritus est, ut sese pro se ipse exinaniret? Tum cui bono & fini se pro seipso exinanivisset? num ut sibi placaret Patrem? atqui illum non offenderat: num ut sibi aliquid promereretur? Viderint qui hoc asserunt, quomodo ab hæresi Arianorum & Papanorum se liberent, qui hoc idem asserunt: num ut ad ipsum inde commodum aliquid rediret? Atqui non egebat ullis pro se commodis illa natura, quæ ipsi beatitudini sempiternæ personaliter unita erat.

Hæc de quæstione decima.

UNDECIMO quæritur, *Quomodo sancta vita Christi seu perfectissima præceptorum Legis impletio nobis ad justitiam imputetur, cum Paulus in tota disputatione de justificatione hominis coram Deo nusquam commemoret sanctam vitam Christi, tanquam eam rem, per quam justificemur, sed ubique commemoret sanguinem Christi, fusum scilicet cum sensu iræ Dei propter nostra peccata, quæ Christus expianda in se suscepit?* RESP. Si orationis istius, aliquid ad justitiã imputari, nõ quid sit urgendum, tum de sanguine Christi similiter affirmari potest, in hac tota disputatione de justificatione hominis coram Deo, nusquam Paulum cõmemorare, sanguinem Christi esse rem eam quæ nobis ad justitiã à Deo imputetur. Quod si excipiat, totidem quidem verbis non commemorari, sed bonã consequentiã colligi posse nempe ex eo quod Paulus dicit Rom. 5. v. 9. nos justificari sanguine ejus: idem de impletione præceptorum Legis & sancta vita Christi pari jure dici potest. Quod in quæstione dicitur sanguinem Christi ubique commemorari, cum de justificatione agitur falsum est. Nam non commemoratur Rom. 5. v. 17. 19. 21. ubi tamen Paulus de justitiã imputata agit. Nec commemoratur Rom. 10. ver. 4. Quin si ideo sanguis Christi nobis imputatur ad justitiã, quia ipsius solius fit mentio: tum hac ratione

tione excludetur passio animæ Christi, quæ gravissimum onus iræ Dei adversus peccata sensit & portavit, quæ tristis fuit usq; ad mortem, quæ luctata est cum ira Dei, cū doloribus inferni, cum sensu spiritualiū pœnarū, cum abyſſo desperationis & tentationū de desertione sui à Deo: quæ passio multò major fuit, quàm corporis, nec tamen horum Apostolus Paulus meminit, cū de imputatione justitiæ loquitur.

Intelligunt autem piæ mentes, sanguinis nomine per Synecdochen totam passionem Christi, internam & externam, animæ & corporis, atque adeo totam obedientiam Christi comprehendere. Cæterum sanguinis potius plerumq; meminit Apostolus, quàm internarum animæ passionum vel obedientiæ: tum quia accommodat se ad captum infirmiorum qui externa & in oculos incurrentia facilius percipiunt & intelligunt, quàm interna quæ non nisi ratiocinatione assequi necesse est: tum quia ostendere voluit complementum figurarum veteris testamenti, in quo per sanguinem plerumq; purgabatur; nec ullæ hostiæ pro peccatis offerebantur nisi cum sanguinis effusione Hebr. 9. 22. tum quia in illa solenni sanguinis effusione in fine exinanitionis omnium clarissimè demonstravit Christus suam obedientiam. Quæ enim potuit major esse obedientia, quàm quòd voluntate Patris, subiit acerbissimum supplicium & mortem pro nobis peccatoribus & injustis? quòd dilexit ex toto animo eum à quo percutiebatur? & quidem propter aliena peccata? à quo in ipsum omne onus iræ effundebatur? quòd dilexit eos propter quos percutiebatur & talia tantaq; perferebat? quod hostibus beneficiebat, quod etiam Lex requirit? nam Malcho Pontif. maximi ministro auriculam à Petro abscissam restituit, & pro iis oravit, à quibus crucifigebatur? O ineffabilem vereq; admirandam obedientiam!

DUODECIMO quæritur, Cū Paulus dicat Hebr. 10. v. 19. quòd habemus licentiam ingrediendi in sanctuariam per sanguinem Jesu: quid opus sit sanctitatis & actus obedientiæ Christi imputatione? RESP. Est in dicto Pauli Synecdoche: ideo nominata maximè conspicua obedientiæ Christi parte, non excluditur reliqua obedientia. Rationes Synecdoches sunt manifestæ: Prima, quia sola sanguinis effusio nihil valuisset ad promerendum nobis jus in sanctuarium cæleste ingrediendi, nisi ei fuisset cōjuncta innocentia & obedientia quæ primarium locū obtinuit in morte. Nam sanguine delectatus fuit Deus ac non potius obedientiæ quàm Christus sanguinem pro nobis suam fundens probavit Patri? Bernardus ait epistola 190. Nunquid mors innocentis Filij in tantum Deo Patri placuit, ut per ipsam reconciliaretur nobis, &c. Non mors, sed voluntas placuit sponte morientis, & illa morte expungentis mortem, &c. Et paulò post: Non requisivit Deus Pater sanguinem Filij, sed tamen accepit oblatum: non sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus erat in sanguine. Salus planè & non sola charitatis ostensio. Secunda ratio, quia & per Christi precationem pro nobis, quæ precatio certè opus est morale impetrata nobis est licentia ingrediendi in cælū: illa precatio

fuit *ἀναγινώσκων*, hoc est, quā nobis Patrem placavit, ejusq; gratiam impetravit: Joh. 17. v. 24. *Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam illam meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante factum mundi fundamentum.* Nonne per hanc precationem Christi habemus licentiam ingrediendi in sanctuarium cæleste?

DECIMOTERTIO<sup>o</sup> quæritur, *An justitia à Christo nobis adducta, sit excellentior justitiâ Adami quam habebat in statu integritatis?* RESP. Excellentior est maximè: sive causas ejus spectes, sive effecta, sive subjecta, sive adjuncta. Nam si causas spectes: justitia à Christo nobis adducta est illius personæ quæ & Deus est & homo: at justitia Adami fuit meri hominis. Justitia Christi valet ad promerendam aliis vitam æternam: Adami justitia ne ipsi quidem nedum aliis quicquam potuit promereri. Si forinam requiras, Christi justitia fuit stabilis & constantissima Legis impletio: Adami verò solùm inchoata & mox abrupta. Si effecta consideres, justitia Christi vincit peccatum, superat mortem, diaboli destruit potestatem: Adami justitia nihil tale potuit.

Si subjecta intuearis, justitia Christi in solo Christo residet, ut in proprio suo subjecto: Adami autem in Adamo & posteris ejus ut qualitas inhæsisset. Justitia Christi imputatur impiis Rom. 4. 5. sed justitia Adami fuisset propagata tantùm in pios.

Si adjuncta respicias, justitia Christi est sempiterna ab æterno decreta in æterno Dei consilio, semper efficax & benevolens Deum in æternum: Adami fuit temporaria. Christi justitia est immutabilis: Adami verò fuit mutabilis. Christi justitia est inamissibilis, Adami fuit amissibilis.

DECIMOQUARTO<sup>o</sup> quæritur, *An per Christum simus adducti in meliorem & perfectiorem statum, quàm in quo fuit Adamus ante lapsum?* RESP. Maximè: nam felix status Adami fuit mutabilis & amissibilis ac proinde temporarius: at status in quem à Christo adducti sumus est immutabilis, inamissibilis ac æternus: nam in hac vita inchoatus, post hanc vitam perficietur. Adamus in statu primævæ integritatis carebat quidem peccato, & habebat justitiam, sed non sempiternam: at nos per Christum non solùm remissionem omnium habemus peccatorum, sed etiam justitiam sempiternam, quæ sola affert vitam sempiternam. Deinde non minus in Christo recipimus, quàm in Adamo amisimus, sed amplius: nam quicquid Adamus pro se & pro nobis acceptum perdidit, id totum Christus pro nobis recuperavit. Sicut igitur peccatores constituti sumus amissa in Adamo tota illa nativa conformitate cum voluntate Dei, atq; ita & sanctitate & obedientiâ sanctitatis fructu: Sic justii constitui mur imputata nobis in Christo tota illa nativa ipsius conformitate cum voluntate Dei: ita ut in Christo considerati, nō solùm non habeamus maculam aut rugam aut quicquā ejusmodi, sed etiam simus sancti & inculpati Eph. 5. v. 27. *Hæc verò sanctitas est immutabilis & æterna:*

terna: unde fit ut excellentius nobis bonū imputetur in Christo, quā habuimus & amisimus in Adamo.

DECIMO QUINTO, *Cum ablata privatione p se restituatur habitus, sicut ablata cæcitate redit per se visus; ablata intemperantiâ succedit temperantiâ; an non remisso peccato, per se redeat justitia?* RESP. Physicæ & Ethicæ, hoc est, naturalis illius successione privantium non est par ratio cum supernaturali. Nam visus & temperantię Ethicæ causa atq; principium est in ipso homine: justitiæ verò Christi causa & principium in homine non est. Ablata cæcitate per remedia vel chirurgiam redit visus, quia vis visiva manserat in oculo (alia enim ratio est eorum quibus per miraculum fascultas videndi vel nunquā ante habita, est data, ut à Christo illi qui cæcus natus fuerat Iohan. 9. vel postquam amissa fuerat, est restituta.) Sic temperantiæ Ethicæ causa & principium est in homine etiam non regenerato, quia in eo sunt principia nobiscum nata.

DECIMO SEXTO, *quæritur, An justitia Christi sit æqualis injustitiæ Adami?* RESP. Non est æqualis tantū, sed etiam multis partib. & modis amplior. Ideo sicut tota injustitia Adami nobis imputatur: ita vicissim totam justitiam Christi nobis imputari necesse est: idq; ut non pars tantū injustitiæ, sed tota injustitia nostra tegatur. Deinde non est angustius Christi beneficiū, quā est Adami noxa. Esset autē angustius, si plus ex noxa Adami nobis imputaretur, quā ex beneficio Christi. Tum Innocentia Christi non est minoris efficaciz, quā fuit culpa Adami. Jam si culpa Adami peccatores cōstituit nos omnes qui per carnem sumus generati: multo magis innocentia Christi justos constituet nos omnes qui per Spiritum sumus regenerati. Cavendum est enim, ne dum noxam Adami nobis imputari concedimus, at innocētiā Christi imputari negamus; majorē efficaciam inobediētiæ Adami, quā obediētiæ Christi tribuamus, ac proinde Adamū Christo potentiorē atq; superiorem constituamus. Adami noxa nobis est cōmunicata; & Christi innocentia nobis non cōmunicetur? Adami peccatum factum est nostrū: & Christi sanctitas non sit nostra? Adami reatus ad nos pertinet, & Christi puritas ad nos non pertinebit? Quemadmodū enim Adamus in sua inobediētia ut appellatur Rom. 5. v. 19. seu trāsgressione ut vocatur I. Tim. 2. v. 14. consideratur non ut privata persona, sed ut caput & radix omnium nostrū: ita quoq; Christus obediētiā præstitit Legi, nō ut privata persona, sed ut caput & sponsor omnium nostrū.

DECIMO SEPTIMO, *quæritur, Quem sanguis Jesu Christi nos emundet ab omni peccato, quid opus sit aliâ re ad justificationem?* RESP. Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato: sed non ab obligatione perfectissimè implendi Legem, quæ obligatio profectō peccatum non est. Ut ergo à Christo sumus mundati à peccato per sanguinem ejus: ita ab eodem nos oportet ab obligatione illa perfectissimè implendi Legem liberari per impletionem perfectissimam ab ipso factam.

DECIMO OCTAVO quæritur, *Annon soli sanguini Christi ubiq; tribuat-  
tur emundatio nostri à peccatis?* RES P. Non: nam interdum toti Christo  
Scriptura id tribuit, velut Hebr. 1. v. 3. ubi dicitur, Christum purgatio-  
nem peccatorum nostrorum fecisse PER SEIP S V M. Interdum obla-  
tioni corporis Jesu Christi: ut Hebr. 10. v. 10. ubi dicitur: *Quâ voluntate  
sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Ea oblatio  
unica fuit, quæ cœpit ab ipsa exinanitione, ab eo ipso tempore quo spõ-  
foris partes exsequi Christus cœpit; complementum verò ejus & cons-  
ummatio fuit in ligno crucis: nam ingrediens mundum cœpit se Pa-  
tri sistere, ut Paulus testatur Hebr. 10. v. 5. & sequentibus: *Ingressus mun-  
dum, dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi. Holo-  
cautomata & hostiam pro peccato non approbasti. Tunc dixi: Ecce adsum (in ca-  
pite libri scriptum est de me) ut faciam Deus voluntatem tuam.* Christo igitur  
ingrediente mūdum cœpit illa oblatio sui, finita verò, solēniterq; con-  
summata ac obsignata est in ligno crucis: ita initium ejus fuit in in-  
gressu in mundum, coronis verò in ligno crucis. Tum annon Christus  
nos emundavit à peccatis nostris precatione sua quâ nobis peccatorū  
remissionem impetravit? nōne nos sanctificavit sua precatione, hoc  
est, sanctificationem impetravit, cū diceret Joh. 17. v. 17. *Sanctifica eos  
tua veritate: sermo ille tuus veritas est?* cū impetraret remissionem pec-  
catorum, dicens, *Pater remitte illis, quia nesciunt quid faciant?* Non ergo so-  
lo sanguine, sed tota sui oblatione, sed precatione pro nobis, quæ certè  
opus morale est, atque adeo totâ suâ obedientiâ, quæ maximè in san-  
guinis p nobis effusione conspicua fuit, nos emundavit, hoc est, emun-  
dationem à peccatis impetravit. Propriè loquēdo, Deus est is qui nos  
purgat sicut dicitur 1. Joh. 1. ver. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est &  
justus, ut remittat nobis peccata & purget nos ab omni iniquitate.* Hinc David  
precatur Psal. 51. vers. 4. *Multum ablue me ab iniquitate mea & à peccato meo  
munda me.* Sic Eph. 5. v. 26. dicitur, quòd *Christus Ecclesiam purgavit.* San-  
guis verò Christi purgat nos à peccatis, quia ejus effusione nobis im-  
petrata est purgatio à peccatis. Sanguis Christi emundat, cū fide ac-  
cipimus illius sanguinis meritum: ideo autem emundat, quia est san-  
guis Filij Dei, qui eum pro nobis obtulit. Porrò non magis adscribitur  
meritum sanguini, quàm angoribus animæ, quàm perpeffioni captivi-  
tatis, condemnationi sub Pontio Pilato, contumeliis, quàm oblationi  
corporis, quàm precationi, quàm aliis denique obedientiæ ejus parti-  
bus. Metaphora quidem purgationis commodiùs respicit sanguinem,  
quia liquor est, quàm precationem, quàm mandatorum Legis imple-  
tionem: nequiquam verò excludit reliquam obedientiam. Unde non  
dubitavit dicere Augustinus tomo 9. tractatu 4. in epist. Johannis: *Nas-  
tività Christi liberat à peccato: & de civ. Dei lib. 10. c. 24. nos Christi incarnas-  
tione purgari.* Sed metaphora hæc purificationis non tantum de sangui-  
ne usurpatur, sed etiam de rebus aliis. Sicut Johan. 15. v. 3. ait Dominus:

Vos pari estis propter sermonem quem loquutus sum vobis. Act. 15. v. 9. dicitur, Deum purificare fide corda nostra.

DECIMONONO<sup>o</sup> quæritur *An non Jobānes, cū dicit: 1. Joh. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi Filij ejus purgat nos ab omni peccato: excludat innocentiam Christi, hoc est, sanctitatem in qua conceptus est & natus & obedientiam activam?* RESP. Primò particulā exclusivā non utitur. Deinde neutiquam obedientiam atq; innocentiam Christi excludit, sed duntaxat sanguinem typicum taurorum vel hircorum: & meritum nostrum, atq; illa media quæ humana superstitio vel audacia ad emundandos nos à peccatis excogitavit.

VICESIMO<sup>o</sup> quæritur, *An justitia illa sempiterna, quæ Christus nobis adduxit sit qualitas Christo inherens?* RESP. Maximè, sicut enim inobedientia & injustitia Adam per quam nos peccatores & injusti constituti sumus, fuit qualitas Adamo subjectivè inherens, nobis autem posteris ejus justissimè imputatur: ita obedientia & justitia Christi per quam innocètes & justii constitui mur, est qualitas Christi humanitati ut proprio subjecto inherens, nobis autem gratiosè imputatur. Deinde conformitas cum Lege Dei est qualitas inherens ei qui per eam conformis est Legi. Atqui justitia Christi per quam justii cōstituimur est conformitas cum Lege Dei. Est igitur qualitas Christo inherens. Proinde Christus ipse nobis induendus est, ut in eo comperiamur, non habentes justitiam nostram quæ est ex Lege, sed eam quæ per fidem est Christi, nempe justitiam ex Deo per fidem. Hoc vestitu teatæ animæ esse debent, ut pulchræ sint & splendidè exornatæ. Sed justitiam quæ nobis per fidem imputatur esse qualitatem in Christo, eleganter exponit Guilielmus whitakerus Theologorum Angliæ decus libro 8. adversus Duræum Jesuitā pag 581. editionis Rupellanæ in octavo: *In Christo quidem justitiam plenissimam atq; integerrimam agnoscimus, eamq; etiam in illo qualitatem esse concedimus. Q. à ergo. tu fronte id nō negare ducis? Quæ ve. d. causa nobis persuadet, ut volumus hanc justitiam, in Christo qualitatem esse fateamur, eadem ut justitiam non esse in nobis qualitatem existimemus cogit. Christus enim perfecit omnia quæ Lex præscripsit: itaq; fuit perfectissima justitia cumulatus. Nos hac volumus justitia caremus, qui Legi minimè obtemperamus: hæc ergo qualitas nobis non inheret.*

VICESIMO PRIMO<sup>o</sup> quæritur *Annon justitia illa sempiterna à Christo nobis adducta sit ipsa remissio peccatorum?* RESP. Remissio peccatorum est effectū, est fructus justitiæ & obedientiæ Christi: H. Zanchius de peccato originis cap. 4. pag. 30. b. non est ergo ipsa justitia, nisi per metonymiam. Deinde remissio peccatorum est opus merè divinum: totiusque Sacrosanctæ Triados Patris Filij & Spiritus Sancti: ex quo propterea æterna Deitas Christi & æqualitas cum Patre probatur: At justitia quæ nobis imputatur est opus humanitatis Christi. Ut enim humana natura Legem transgressa erat, ita humana natura Legem in-

plere debuit & obedientiam præstare in qua iustitia consistit. Tertio iustitia Christi dicitur nobis proprie imputari: at remissio peccatorum non potest dici proprie imputari. Quarto, iustitia est conformitas cum lege seu impletio Legis: at remissio peccatorum non est ipsa conformitas cum Lege, seu impletio Legis. Quinto, Remissio peccatorum est iustificatio: at iustitia imputativa non est ipsa iustificatio. Ergo.

VICESIMO SECUNDO. Cum Adami inobedientia per quam peccatores constituti sumus, sit unicum delictum quo unica illa Lex specialis in Paradiso lata de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali est violata & non lex decem mandatorum quæ nondum fuerat lata: Annon similiter Christi obedientia per quam iusti constituimur, est unica illa actio Christi quæ subijt pro nobis mortem? RESP. Ad hanc quæstionem respondeo verbis Tertulliani ex cap. 2. libri adversus Judæos: Deus in principio mundi, ipsi Adæ & Evæ Legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio Paradisi ederent: quòd si contra fecissent, morte morentur. Quæ lex eis si fieret, si esset custodita. In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullula verunt data per Moysen, id est, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua & Diliges proximum tibi tanquam te, & Non occides, non mæchaberis, non fraudaveris, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in Paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei. Deniq; si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: si proximum diligenter, id est, semetipsum, per suasionem serpentis non credidissent, atq; ita in semet ipsos homicidium non commississent, ex eidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum, à furto quoq; abstinuisissent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu Domini Dei nostri sub arbore delitescere gestassent. Nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei quòd similes Deo essent futuri. Atq; idæ nec Deum offendissent ut patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupisissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hæc generali & primordiali Dei Lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta Legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita geminaverunt. Eiusdem est enim postea docere Legem, qui antè præmiserat præceptum: quoniam & ipse est erudire postea, qui antè iustos formare instituerat. Quid enim mirum, si is auget disciplinam, qui instituit, si is perficit, qui cepit? Hætenus Tertulliani verba. Lex ergo Adami lata complexa est summatim omnia illa præcepta quæ postea precipiat Legislator per Moysen distinxit in Decalogo. Itaque Lex de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, non prohibebat solummodo externum actum comestionis, sed etiam approbationem mentis de comedendo, sed etiam voluntatem comedendi, sed etiam concupiscentiam comedendi: contra abstinentiam requirebat; & ἀνάρτητον acquiescentem in usu aliorum fructuum. Lex illa prohibebat incredulitatem & diffidentiam de veritate comminationis prohibitioni additæ, quam diffidentiam

tiam Eva jam coepit concipere, cum voci certitudinem significati sub-  
stituit dubitandi particulam, respondens serpenti, dixit Deus, ne comes  
datis ex isto, neq, attingatis eum: ne moriamini. Quam diffidentiam afflavit  
serpens Evæ cum diceret: Non utiq, moriemini. Gen. 3 v. 4.

Lex illa prohibebat suspicionem de odio Dei adversus genus hu-  
manum, quasi ex odio non cederet illius fructus usum: prohibebat etiam  
suspicionem de invidia Dei, quasi Deus invideret homini æqualitate se-  
cũ & scientiam boni & mali: quã suspicionem suggererat serpens Ge. 3.  
vers. 5. Novit enim Deus, quo die comederitis ex eo, aperturos se oculos vestros: &  
vos fore sicut Deos, sciẽtes boni & mali. Lex illa, ut summatim omnia cõplectar,  
requirebat obedientiam erga Deum perfectissimã & dilectionem er-  
ga Deum extoto corde, & erga proximum: cujus obedientiæ & dile-  
ctionis exercitatio debuit esse vel hujus unicæ legis observatio.

Lex illa Adamo lata moralis erat: & quicquid Decalogus pluribus di-  
stinctis præceptis requirit, id lex illa Adamo lata uno præcepto com-  
prehendit: quum & illius & Decalogi anima & fundamentum sit: Di-  
liges Dominum Deum tuum &c. Cur verò unica duntaxat lex Adamo  
fuit lata? 1. quia hæc unica suffecisset ad exercendam obedientiam,  
Deo que probandam; & ad consequendam vitam æternam, si fuisset cu-  
stodita. 2. quia unicæ hujus legis transgressio sufficiebat ad obnoxium  
reddendum morti humanum genus. 3. ut hinc disceret homo suam im-  
potentiam, quòd licet in statu integritatis, sibi relictus ne unicam qui-  
dem legem Dei servare posset. Non erat opus multis legibus, nam vel  
unius legis transgressio imò vel unicum peccatum ex multis illis quæ  
lex illa prohibebat sufficiens erat ad promerendam mortem æternam.

Ex hac collatione Legis in Paradiso latæ cum lege decem manda-  
torum in monte Sinai promulgata liquet, utriusq; idem fundamen-  
tum, eandem rationem, eundem scopum esse: quia utrâque Lege re-  
quiritur perfectissima dilectio Dei & proximi: tum quia lege illa pri-  
mordiali continentur præcepta in Decalogo tradita, Deo legem suam  
ita interpretante. Quid enim voluerit Deus Lege Adamo data, in De-  
calogo declaravit, Interdicto esu fructus arboris scientiæ boni & ma-  
li, vetuit ne haberet homo deos alienos præter Creatorẽ suum, ut so-  
li Deo crederet, in solo Deo fiduciam omnem collocaret: At homo  
Diabolo credidit, in se ipso fiduciam collocavit, ex seipso Deum facere  
voluit, sicut serpens dixerat: *Eritis sicut dii*: deos proinde alios habuit  
præter Creatorem. Lege illa in Paradiso vetuit Deus aliter se coli  
quàm præcepisset: at primus homo aliter ipsum voluit colere, nimi-  
rum comparando sibi scientiam boni & mali: & putando Deum posse  
rectè coli, etiam faciendo ab ipso prohibita. Lege illa in Paradiso pro-  
hibuit Deus abusum nominis divini: at homo est nomine divino abu-  
sus, cum serpenti verbum Dei annunciavit, cui annunciare non de-  
buit: cum non egit gratias Deo pro beneficijs acceptis: cum zelum pro

gloria Dei aduersus serpentē & propriam cupiditatem nō declaravit: cū non invocavit Deum ut ipsum à transgressione mandati servaret. Lege in Paradiso data præcepit Deus Sabbathi sanctificationem, ut homo in omni vita à pravis actionibus vacaret, Domino concedēs, ut per Spiritum Sanctum in ipso suum opus faceret: at homo nimium concedens serpenti pravis actionibus se dedit &c.

Quod à nobis Decalogus requirit, id ipsum ab Adamo lex in Paradiso lata requisivit. Atqui perfectissimam dilectionem Dei, & proximi, à nobis Decalogus requirit. Ergo eandem Lex in Paradiso lata requisivit ab Adamo.

Si quis excipiat, in Lege Adamo data non fieri mentionem, nisi prohibitionis vetiti fructus: ei respondeo, in Decalogo etiam non fieri expressam mentionem dilectionis Dei & proximi, quam tamen Decalogo præcipi, Christus ipse docet. Quælibet ergo Lex Dei ita est intelligenda, ut synecdoche in illa esse sciatur, ut uno peccato prohibito, cætera omnia prohiberi intelligantur, & contra omnes virtutes oppositas requiri.

Quapropter peccatum Adamo non fuit solummodò unica externa illa actio comestionis fructus vetiti: sed *transgressio* nēpe Legis 1. Tim. 2. v. 14. sed *inobedientia* omnia illa peccata complectens, quæ Lege illa prohibita erant: nempe dissidentiam de veritate verbi v. 3. approbationem mentis de comedendo v. 6. auscultationem serpentis potius quàm Dei, superbiam, ingluviem, avaritiam, homicidiū sui & posterorum, intemperantiam, furtum, quia abstulit quod non suum, sed alienum erat ipsique interdictum: falsi testimonij quod diabolus dixit approbationem, quia assensit diabolo falsum de Deo testanti v. 5. Concupiscentiam intelligentiæ & scientiæ majoris & altioris quàm Deus dederat: concupiscentiam æqualitatis cum Deo & sublimioris status quàm in quem à Deo fuisset collocatus, concupiscentiam prohibitum fructum comedendi & confugem multorum aliorum peccatorum. Idē docet Augustinus tomo 3. Enchiridio ad Laurētium cap. 45. *Quamvis in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra diviatur singula: nam & superbia est illic, quia homo in se potius esse, quàm in Dei potestate dilexii: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia semetipsum præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humane serpentina suasionem corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & avaritia, quia plus quàm illi sufficere debuit, appetuit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest. Hæc Augustinus Quid iustitia nobis imputata suo complexu cōprehendat, intelligi nequit, nisi sciatur quid contineat inobedientia Adamo quæ nobis fuit imputata. Quid verò inobedientia illa complectatur, sciri non potest, nisi ex Lege quam Adamus*

Adamus est transgressus. Lex verò intelligi non potest, nisi cognita Legislatoris mente: non enim verba Legis, sed mentem Legislatoris spectari oportet. Quæ verò erat mens Legislatoris in lege illa Paradisiaca? ut homo diligeret Deum, &c. Ut igitur una Adami inobedientia & transgressio lapsusque unus omnia peccata lege prohibita comprehendit: ita obedientia Christi omnium quæ lex requirit, præstationem est complexa. Utiq; inobedientia Adami non fuit externa solummodo actio illa unica comestionis vetiti fructus: ita nec obedientia Christi fuit solummodo externa illa actio perpeffionis mortis. Utque tota Adami inobedientia interna atq; externa nobis imputatur: ita etiam tota obedientia Christi nobis imputatur: non enim minus nobis imputatur ex obedientia Christi, quam imputatum fuit ex inobedientia Adami.

VICESIMOTERTIO' queritur, *An omnia quæ Christus pro nobis fecit, nobis in justitiam imputentur?* RESP. Cùm loquimur de eorū quæ Christus pro nobis fecit imputatione in justitiam, quis non cognoscit, ea tantum intelligi, quæ justitiæ nomine comprehenduntur? nimirum ea omnia quæ Lex Dei à nobis requirebat. Atqui quæ Christus pro nobis fecit non omnia Lex Dei à nobis requirit: utpote descensionem è cælo, conceptionem de Spiritu Sancto, & non ex viri concubitu, nativitatem ex virgine intacta & non ex muliere à viro cognita: miraculorū editionem, intercessionem pro nobis jam in cælo, &c. Ergo nō omnia quæ Christus pro nobis fecit, nobis in justitiam imputatur, sed illa tantum in quibus justitia, hoc est, impletio Legis consistit. Omnem quidem justitiam quæ nobis imputatur, Christus pro nobis fecit: at non omnia quæ pro nobis fecit, sunt illa justitia quæ nobis imputatur.

Quæ suprâ diximus de iis quæ Christus pro nobis fecit, non eò pernent ac si ea omnia nobis in justitiam imputarentur: sed ut instantiis infringeremus enunciationem hanc, nēpe, *Quæcumq; Christus pro nobis fecit, ea facere nos non teneri.* Hanc enunciationem simpliciter intellectam, falsam esse diximus. Nam Christus pro nobis oravit: nunquid igitur nos non tenemur orare? Christus pro nobis passus est: nunquid igitur nos non tenemur pati? Tenemur certè, si modò imagini Filij Dei conformes fieri cupimus Rom. 8. v. 29. *Ad hoc etiam vocati sumus, quoniam & Christus passus est pro nobis, & iniquus nobis exemplar, ut insequeremur vestigia ipsius.* 1 Petr. 2. v. 21. Quin experientia quotidiana nos convincit, quòd pati cogamur, quòd mori deniq;: sed ut diximus nuper, longè alio fine, quam Christus. Christi passio & mors fuit *λόγος* pro nobis & meritum, propter quod vitam æternam DEUS nobis largitur: nostra passio & mors non est *λόγος*, non meritum.

VICESIMOQUARTO' queritur, *An Christus pro nobis esuriverit & sitiverit?* RESP. Affirmat Ambrosius: & rectè quidem: Esurivit enim & sitivit Christus, nō ordinariè ut aliàs homines esurire & sitire solent: sed extraordinariè pressus ingenti fame & siti, nec habens quo famem

& sitim exstingueret: idq; hoc sine, ut nostram ingluviem pensaret, ut pro nostra intemperantia satisfaceret. Deinde fames & sitis illa extraordinaria fuerunt partes exinanitionis Christi: Ut igitur Christus pro nobis seipsum exinanivit, non autem pro se: ita esurivit & sitivit pro nobis, non pro se.

VICESIMO QUINTO quæritur: *An Christus pro hominibus de pago in pagum, de oppido in oppidum profectus sit?* RESP. Qui negat, finem adventus Christi in carnem ignorat. Nam Christus eo ipso implebat omnem justitiam & munus sibi à Patre demandatum, quòd de pago in pagum, de oppido in oppidum proficiscebatur, non voluptatis, non ociose deambulationis gratiâ, nec suâ, sed hominum causâ, ut illis Evangelium regni annuntiaret. Hoc ipsum Dominus docet Marc. 1. v. 38. ubi ait: *Eamus in contigua opidula, ut & illic prædicem, ad hoc enim sum egressus.* Et Luc. 4. v. 43. *Certe etiam aliis urbibus oportet me evangelizare regnum Dei: nam ad hoc missus sum.* Proinde quòd Christus de civitate una in aliam, de pago in pagum profectus est, fecit quod eum facere oportuit, ut munus sibi à Patre injunctum fideliter exsequeretur, atq; in hoc etiam Patri obediret.

VICESIMO SEXTO quæritur, *An Christus plura præstitit, quàm Lex à nobis requirit?* RESP. Imò: nam præstitit omnem obedientiam, quam Lex à nobis postulat: sustinuit etiam pœnam quam Lex à nobis exigebat. Supra legem verò præstitit, quòd innocens mortuus est pro nocentibus nobis. Nam Legis alioquin vox est: *Anima quæ peccaverit, ipsa moriatur.* Quòd ergo mori sustinuit, qui non peccarat, supra Legem fecit, quæ non nisi in peccatores mortem sancit.

VICESIMO SEPTIMO quæritur, *An justitiâ alienâ justificemur?* RESP. De hoc nemo dubitat, præter eos qui ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non sunt subiecti: qui sectantes Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non perveniunt: qui justiores esse volunt Paulo, omnia sua pro stercoribus ducente ut Christum lucrifaceret & comperiretur in eo, non habens suam justitiâ, quæ est ex Lege, sed eam quæ per fidem est Christi, justitiam quæ est ex Deo per fidem. Alienâ igitur justitiâ justificamur, quia justitiâ Christi, qui solus Legi in omnibus satisfecit: ac proinde justitia illa extra nos est & in solo Christo residet: in quo nobis est tutior & certior, quàm si intra nos esset: quia in illo fundamento non potest labefactari, in nobis posset multis modis, sicut alia spiritualia dona. Neque verò in oramur præclarum scilicet Jesuitarum argumentum, quod ipsis Aristotelicæ categoriæ suppeditant. *Quemadmodum (ajunt) ab insitis qualitatibus res quales nuncupantur, veluti à temperantiâ temperantes, fortitudine fortes: sic à justitiâ inbærente dicijustos Categoriarum ratio postulat.* Atqui perfecta Christianorum justitia, quâ coram tribunali Dei justii censentur, nõ in qualitate nobis inbærente, sed tantum in Christi obedientia nobis per fidem imputata consistit. Si hæc Philosophi nescierint, minimè mirum est,

cum eam Jesuitæ admodum ignorent, quam tamen ex Scripturis discernere potuissent, si Christianè justificari potius, quam Philosophicè justifi esse vellent. Sed dum Philosophicam justitiam defendunt & consulantur, Christianam justitiam amittunt.

VICESIMO OCTAVO quæritur, *Quomodo justitia aliena fieri possit nostra?* RESP. Imputatione. Sicut enim peccatores constituti sumus inobedientiâ Adami, quæ non est qualitas subjectivè nobis inhærens, sed imputatione nostra fit; quia Deus inobedienciam Adami, tanquam patris & radicis totius humani generis, nobis justissimè imputat, nec enim inobediencia Adami in nos transit actu, sed tantum culpa & reatu: ita etiam per obedientiam Christi justifi constituimur imputatione, quia Deus obedientiam Christi ita acceptat, ac si à nobis ipsis exhibita fuisset, atque ac si nostris animabus & corporibus adhæresceret. Proinde Christi justitiam tanquam veram illam vestem nuptialem induimus, ut Deo placeamus.

VICESIMO NONO quæritur, *An non alienæ justitiæ imputatio sit res inanis aut in mera imaginatione tantum posita?* RESP. Nequaquam: nam sicut Christo, qui peccatum non novit, verè & re ipsa imposita fuerunt nostra peccata in Dei judicio, ideoq; & acerbissimam mortem subire eum oportuit: sic verè certissimeq; in Dei judicio imputatur nobis ipsius justitia ad vitam. Sicut nostra inobediencia Christo fuit imputata, ut propter illam moreretur: ita Christi obedientia nobis imputatur, ut propter illam æternum vivamus.

TRICESIMO quæritur: *Annon Deus ita se injustum declaret, si alterius justitiam habeat pro nostra?* RESP. Tum injustus esset, si illa justitia non fuisset loco nostro præstita. At cum hanc ad quam Christus non tenebatur, pro nobis præstiterit, & conditionem hanc acceptet Deus, ut qui hanc rationem reconciliandi se nobiscum ipse invenerit, nequaquam est injustus.

TRICESIMO PRIMO quæritur, *An justitia illa quæ coram Deo justificamus, sit perfecta in hac vita?* RESP. Est perfecta: quia est obediencia Christi, quæ Deus nobis est placatus & reconciliatus. Quæ verò justitia nos Deo recõciliat, ea debet esse perfectissima, ut nullam aut Lex requirat, aut Deus postulet pleniorẽ. Est enim Deus ignis cõsumens, nec coram illo cõsistere possunt, quibus aliquid ad perfectam justitiam deest. Quod enim nõ est perfectum, id in suo genere vitiosum est. Si ergo Deus justitiæ non perfectæ placari possit, Deo aliquid placeret vitiosum. Cur enim justitia imperfecta dicitur, nisi quod vitio minime careat? Atqui justitiæ Christi nobis Deus est placatus: nihil ergo ei deest, quod ad e-jus accedere integritatem possit. Ex his perspicuum est, justitiam nostram in hac vita, non modò veram esse, sed etiam perfectam.

TRICESIMO SECUNDO quæritur, *Quomodo justitiæ istius participes sumus?* RESP. Per fidem: quia fides est oculus, quo justitiam Christi

videmus: fides est manus, quâ justitiam Christi nobis oblatam accipimus. Hinc dicit Scriptura, nos per fidem justificari: quia fides justitiâ Christi à Deo oblatam excipit, non autem ipsa ad Deum affert. Proinde non ipsa actio vel opus fidei, non dignitas fidei propriè nos justificat, sed justitia Christi quam fides apprehendit: quemadmodum manus quæ recipit thesaurum donatum, non ditat, sed thesaurus: & os quod cibum recipit, non nutrit, sed ipse cibus.

*Hactenus etiam secundum membrum generalis prædictionis Angelica est explicatum: sequitur tertium membrum;*

Quod his continetur verbis; *Idè obsignando visionem & Prophetam: & ungerendo sanctum sanctorum.* Duo autem his verbis prædicuntur, quorum primum est obsignatio visionis & Prophetæ: alterum unctio sancti sanctorum. Obsignatione hac intelligitur impletio quâ sancita ac confirmata fuit veritas omnium revelationum & prædictionum de Christo; quemadmodum tabulæ vel scripta instrumeta fidei faciendæ causâ signis muniuntur. Obsignationem hanc refert Angelus ad *visionem & Prophetam*: hoc est, ad modos illos per quos revelationes divinæ fiebant. Nam alia revelabantur per *visiones* aut vigilantibus exhibitas in oculis vel mente, aut dormientibus in somniis: alia per *os Prophetarum*. Omnia illa prædixit Angelus obsignatum iri à Christo, nimirum impletione per ipsum facta. Cæterum præfixum fuit Danieli tempus ad obsignandum visionem & prophetam, non solum ut vaticinio, de quo hinc agitur, certa constaret autoritas: sed etiam ut fideles æquo animo carerent ad tempus Prophetis, quia instaret omnium revelationum plenitudo & clausula. Sic Tertullianus libro adversus Judæos cap. II. *Quoniam impleta est prophetia per adventum ejus, id est, per nativitatem, quam supra memoravimus, & passionem, quam evidenter ediximus, propterea & Daniel signari visionem & prophetem dicebat, quoniam Christus est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retrò erant de eo nunciata: post enim adventum ejus & passionem ipse jam non visio, neque Prophetes. Unde firmissimè dicit adventum ejus signare visum & prophetiam.*

*Hinc ista documenta observanda.*

1. Adventu Messie demum plenam intelligentiæ lucem in Ecclesia sperandam fuisse. Huc referendum illud Hebr. I. v. I. *Multis vicibus multisq; modis olim Deus locutus Patribus in Prophetis, ultimis diebus hisce locutus est nobis in Filio.*
2. Feliciorem esse statum Ecclesiæ in novo Testamento, quàm fuerit in veteri. Nam in veteri fidelibus futura obscuritùs per visiones vel per os prophetarum adumbrabantur: at in novo illa à Christo sunt reipsa exhibitæ ac obsignatæ. Huc pertinet quod Petrus ait epistolâ primâ cap. I.

v.10. & sequentibus. De qua salute inquisierunt & quam scrutati sunt Prophetæ qui de Ventura in vos gratia prophetarunt. Scrutantes in quem aut qualtem temporis articulum prænunciatus ille qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet eventus ras Christo perpeffiones, & gloriam illas consequituram. Quibus revelatum est, eos non sibi, sed nobis ea administrare, quæ nunc annunciata sunt vobis.

3. Christum esse signaculum omnium revelationum in veteri testamento factarum: ac proinde omnibus visionibus & prophetiis finem attulisse: ita ut visiones & Prophetiæ novæ non fuerint, nec sint amplius expectandæ. Valeant igitur Prophetiæ Montani: valeant visiones Enthusiatarum & aliorum hominum fanaticorum.

*Tantum de oblatione visionis & Prophetæ: sequitur de unctiōe sancti sanctorum.*

Per illam intelligit spiritualement unctiōem quâ Christus & humanâ suam naturam & totam Ecclesiâ & cælum unxit, ut essent verè sanctum sanctorum, quod figuris veteribus adumbratum fuerat. Nam Deus Exod. 30. v. 25. & sequentibus & cap. 40. v. 9. & sequentibus præceperat Moysi ut pararet oleum unctiōis sacræ: eoque ungeret tentorium conventus, & arcam ipsam testimonij: Mensamque cum omnibus instrumentis ejus, & lychnuchum ac instrumenta ejus: & altare ipsum suffitus. Altare quoque holocausti, & omnia instrumenta ejus: labrumque & scapulum ejus: Ut sanctificaret illa, essentque כִּי־שֶׁמֶן hoc est, sanctum sanctorum: Utque Abaronem quoque & filios ejus ungeret & sanctificaret eos, ut sacerdotio fungerentur Deo. Hoc mandatum Jehovæ, exsecutus est Moyses Levit. 8. v. 10. & sequentibus. Nam accipiens oleum unctiōis, unxit tabernaculum ipsum & quicquid in eo erat, ut sanctificaret illa. Et aspergens eo altare ipsum septem vicibus, unxit ipsum altare & omnia instrumenta ejus, & labrum & scapulum ejus, ad sanctificandum ea. Tum effundens de illo oleo unctiōis super caput Abaronis, unxit eum ad sanctificandum eum. Ex his apparet non solum Abaronem unctum fuisse oleo sacræ unctiōis: sed etiam tabernaculum ipsum & quicquid in eo erat, ut esset sanctum sanctorum.

Unde jam promptum est colligere, quid per sanctum sanctorum quod fuerat ungendum, Angelus Gabriel intellexerit: nimirum illud quod per sanctum sanctorum in veteri testamento adumbratum fuit. Intellexit igitur primò humanam Christi naturam, quæ significata fuit per tabernaculum, ut explicat Paulus Hebr. 9. ver. 11. ubi ait: *Adveniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus structuræ.* Hinc dicitur Christus minister veri illius tabernaculi, quod fixit Dominus & non homo Hebr. 8. v. 2. Ita que humana Christi natura est verum illud tabernaculum, in quod ingressus est Filius Dei, sicut Levitici Pontifices in alterum illud terrenum ingressi fuerunt. Unde etiam Christus appellavit corpus suum templum cum diceret Joh. 2. ver. 19. *Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud.*

Loquebatur autem de templo corporis sui ut est ver. 21. seu de corpore suo, quod est templū Deitatis, cujus plenitudo in Christo habitat Coloss. 2. v. 9. Cujus corporis respectu, cū tabernaculo fuerit adumbratum, dicit Iohan. cap. 1. v. 14. *καὶ ἐν ἑαυτῷ ἔκειτο*, habitavit internos seu conversatus est nobiscum, ut in tabernaculo existens. Tabernaculo præcedente, Israëlita sequebantur; & stante, castra metabantur: ut nos discamus nullum alium datum esse nobis ducē ad salutem, quā Sermonem Dei, hominem factum. Eadem humana Christi natura fuit per *arcam testimonij* adumbrata, quæ arca & ipsa uncta fuit. Facta fuit ex lignis cedrinis quæ putredinem non patiebantur, ut incorruptibile corpus Christi futurum significaret: sicut illud ne quidem in sepulcro ipso sensit corruptionem, juxta prædictionē Psal. 16. v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec sines sanctum tuum sentire corruptionem.* Auro etiam intus & foris fuit deaurata: ut significaretur sicut aurum est inter metalla & primum & purissimum, ita etiam Christū inter fratres multos primogenitum & omnis peccati expertem, omniq; puritate excellentissima præditum fore. Habebat operculum propitiatorium, quod & ipsum adūbrabat Christū, quem proposuit Deus *ἰκανήθειον* per fidem in sanguine ipsius Rom. 3. v. 25. Habebat in se repositum testimonium Dei ut significaretur, Christum esse fidem illum testem Apocal. 1. v. 5. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi. Colos. 2. v. 3. Habebat operculo impositos Cherubinos; ut significaretur, Angelos Christo ministrantes desiderare *παράκλησις*, introspicere in mysteria æternæ salutis. Præcedebat populum Dei in deserto: ut innueretur, Christum esse electorum ducem. Ubi arca non erat, ibi Deus se negabat esse Num. 14. ut ostenderetur, ibi Deum placatum adesse, ubi Christus adesset. Portata à sacerdotibus circa Jerichuntem, non machinis, nec arietibus, aut vineis, sed tubarum clangore alta dejecit mœnia: ut doceretur, Christū per sanctos viros, non armis aut machinis, sed clangore Evangelicæ doctrinæ universas diaboli vires everfurum. Sic ergo Christus per arcam fuit adumbratus.

Præfiguratus etiam fuit per *mensam* in tabernaculo, quæ mensa itidē est uncta, & in qua panes propositionis quotidie Deo offerebantur: ut ostenderetur, in solo Christo Ecclesiam membraq; ejus singula ali, nutrirī, educari & se in conspectu Dei constanter & indefinenter sistere.

Præfiguratus fuit Christus per *lychnuchum*: ut ostenderetur, Christum fore lucem totius mundi. Iohan. 8. Lucernæ erant septem in lychnuchō, quia multis ac variis modis per gratias Sancti Spiritus credentium animas Christus illuminat. Duos verò ramos in lychnucho seu candelabro videri Propheta Zacharias dicit cap. 4. quia Christus duos populos, nempe Judæos & gentes in seipso consociavit.

Utroque etiam *altari*, *suffitus* & *holocausti* figurabatur Christus, qui per altare quidem suffitus, ut suavitatis odor ascendisse ad Deum Patrem

Patrem intelligitur: per holocausti verò altare, quòd ipsum etiam *קדש קדש*, *sanctum sanctorum* vocatur Exod. 40. vers. 10. ut hostia pro totius mundi vita in crucem acta. Cælabatur verò altare suffitus, quia occulta atque recondita est vis placationis Christi nisi reveletur: altare autem holocausti vulgo patebat, quia mors ejus omnibus pater. Sed etiam coram arca altare aureum erat collocatum, ut ostenderet, *divinico* Filij esse preciosam in conspectu Dei Patris. Ast altare holocausti in introitu tabernaculi stabat: ut intelligerent fideles, neminem posse ad Deum Patrem accedere, nisi per sacrificium Christi.

Christus ergo est tabernaculum propter carnis tegumétum, propter sanctissimum corpus, in quo propter nos *וְעָמָנוּ*, voluit habitare: est arca, Legem habens in se reconditam, ut Sermo ille æternus, nobis voluntatem Dei Patris revelans: est propitiatorium, Patrem nobis placans: est mensa, continens cibum qui Ecclesiam alit: est candelabrum aureum, ut lux spiritualis electos omnes illustrans: est altare suffitus, ut odor suavitatis in sanctificatione sui pro nobis: est altare holocausti, ut hostia pro nobis ad cædem acta. Omnia verò hæc ungebantur, ut essent sanctum sanctorum: quia quocunq̄ modo Christum intelligas, totus sanctus est. Ergo primum Christus est illud sanctum sanctorum, quod Angelus prædixit ungendum: Unde etiam & Christus & Messias appellatur: quæ nomina ambo significant unctum. Unctus est autem Spiritu Sancto & potentia, ut Petrus docet Act. 10. vers. 38. Utq̄; Christus est Propheta, Rex & Sacerdos: ita triplex est ipsius unctio; *Prophetica, Regia & Sacerdotalis.*

De Prophetica unctioe dicitur Jesaiæ sexagesimo primo, vers. primo. *Spiritus Domini Jehovi est super me: eò quòd unxit Jehova me ad euangelizandam mansuetis, misit me ad obligandum fractos animo, ad proclamandum captivis libertatem & vinculis aperturam erga stulti: ad proclamandum annum acceptum Jehovæ, &c.* Quæ verba Christus de se interpretatur Luc. 4. vers. 17. & sequentibus. Videmus unctum Spiritu fuisse, ut præco & testis esset gratiæ Patris: neque id communi more, quia à reliquis doctoribus, quorum simile erat officium, discernitur.

De regia unctioe Christi dicitur Psal. 2. vers. 6. *Atqui ego inungens regem meum, præfeci Tziioni monti sanctitatis meæ.* & Psal. 45. vers. 8. *Dilexisti justitiam & odisti improbitatem, propterea unxit te, ò DEUS, DEUS tuus oleo gaudij præ consortibus tuis.* Hujus sacræ unctiois visibile Symbolum in Christi baptismo ostensum fuit, dum super eum requievit Spiritus in specie columbæ. De hac unctioe prædixerat Jesaias cap. undecimo, versicul. primo & secundo. *Prodibit virgula è trunco succisso Iesse, & sarculus è radicibus ejus efflorescet: super quo requiescet Spiritus Jehovæ: Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilij & potentiæ, spiritus scientiæ & reverentiæ Jehovæ.* De regia unctioe intelligenda verba Ecclesiæ Apostolicæ Actorum quarto, versicul. vigesimo septimo. *Coacti*

sunt enim in hac civitate Verè adversus sanctum FILIUM tuum JESUM quem unxisti.

Sacerdotalis denique unctio intelligenda est, cum Christus dicitur constitutus esse Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi Psal. 110. v. 4. Atque ad Sacerdotalem unctionem Angelus hoc Danielis loco precipue respexit, prædicens de sanctuarij unctioe. Notanda enim est antithesis inter hanc unctionem, & illam umbratilem quæ in veteri Testamento fuerat: ac si diceret Angelus; discussis umbris, in Christi persona clarum fore sacerdotium. Christus ergo primum est sanctum illud sanctorum, de cujus unctioe Angelus prædixit.

Secundo adumbrata fuit per sanctum illud sanctorum seu tabernaculum, etiam Ecclesia Christi: sicut ex Psal. 15. ver. 1. liquet: ubi David dicit: *Jehova, quis commoraturus est in tabernaculo tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tue?* Sensus enim est; Quis in Ecclesia spectabili sit commoraturus, dum peregrinamur à Domino; & quis in Ecclesia Catholica & cælesti in sempiternum habitaturus, denique futurus germanus utriusque membrum? Prædixit igitur Angelus, ungentam fuisse etiam Ecclesiam Christi: nam Christus non sibi modò unctionem accepit, sed toti suo corpori: unde ab ipso capite ad membra diffusa est hæc unctio. Quocirca quemadmodum Christus unctus est, ut esset Propheta, rex & Sacerdos: ita etiam membra ejus veræque fideles uncti sunt & ungentur ut sint prophete, reges & Sacerdotes. De unctioe fidelium ad in unum Propheticum prædictum fuerat à Joële cap. 2. v. 28. *Prophetabunt filij vestri & filie vestre visiones vident.* De eadem dicitur 2 Cor. 1. ver. 21. *Qui nos confirmat vobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus est.* 1 Joh. 2. ver. 20. *At vos unctionem habetis à Sancto illo, & nostis omnia, id est, Spiritu sancto uncti estis à Christo, qui est Sanctus ille sanctorum: unde veram totius salutis notitiam habetis & ver. 27. Unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis: nec necesse habetis ut quisquam doceat vos: verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ & verax est & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.* De unctioe nostri in reges & Sacerdotes dicitur Apocal. 1. ver. 6. *Fecit nos reges & Sacerdotes Deo & Patri suo.* Et 1. Petr. 2. v. 9. *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem ut proprium vendicet: ut virtutes prædicetis illius qui nos vocavit à tenebris in admirabilem suam lucem.* Quod ergo Pater dedit Spiritum Filio non ad mensuram Johan. 3. versic. 34. id nostri gratiam factum, ut de plenitudine ejus acciperemus omnes Iohan. 1. versic. 16. Ex quo fonte manat largitio cujus meminit Paulus Ephes. 4. versic. septimo, quæ variè distribuitur gratia fidelibus, secundum mensuram donationis Christi. Non aliunde ergo vegetamur, quàm ex unctioe illa spiritus CHRISTI: maxime verò quod ad cælestem vitam spectat, nulla est in nobis vigoris gutta, nisi quam nobis Spiritus Sanctus instillat, qui sedem in Christo delegit, ut inde longè ad nos scaturirent cælestes divitiæ, quarum adeo sumus egeni.

egeni. Denique nos etiam in societatem sacerdotij Christus adsciscit. Nam qui in nobis polluti sumus, in ipso tamen sacerdotes, offerimus nos & nostra omnia Deo, & sanctitate Christi perfusi quatenus nos secum Patri dicavit (qui aliqui foetemus coram eo) tanquam puri & mundi, inò etiam sacri, placemus.

Tertio per sanctum sanctorum adumbratum fuit *cælum*: interprete Paulo Hebr. 9. v. 24. *Non enim manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens, sed in ipsum cælum, ut compareat nunc faciei Dei pro nobis.* Ut igitur aspectabili & typica unctioe, à Mose sanctum sanctorum fuit sanctificatum: ita invisibili & reali unctioe cælum à Christo est sanctificatum, quum illud sanctus ipse per sanguinem suum ingrederetur, ut in eo aliquando etiam sancti ipsi Deo in æternum serviamus. Ista est sententia verborum Angeli: *ungetur sanctum sanctorum*, hoc est, ungetur Christus, Ecclesia ipsius & cælum, quæ per sanctum sanctorum, quod Moses unxit oleo sacræ unctiois, fuerunt adumbrata. Ex his autem promptum est refellere errorem Papistarum, qui sanctum altaris (ut loquuntur ipsi) sacramentum dicunt esse *sancta sanctorum*, idque conantur Hefychij autoritate adstruere. Verùm Hefychius *sancta sanctorum*, non externum Sacramentum, sed ipsum Christi corpus appellat, quod quidem est *res sacramenti*, teste *Augustino tract. 26. in Johannem*. Sic *Origenes* scribit in *Leviticum* homil. 7. *Quæ est hostia, quæ pro peccatis offertur, & est sancta sanctorum, nisi Unigenitus Filius Dei, Dominus meus Jesus Christus? Ipse solus est hostia pro peccatis, & ipse est hostia, sancta sanctorum.* Hæc autem *Origenes* locutus est de eo sacrificio, quod Christus in cruce fecit, & propterea addit: *Quod uno verbo Apostolus explicavit, cum dicit, qui se ipsum obtulit Deo.* Quanquam *Origenes* etiam panem & calicem Domini *sancta sanctorum* vocat in *Levit. hom. 13* sed alio sensu, quàm antea corpus Christi *sancta sanctorum* nominavit. Nam panem & calicem appellat *sancta sanctorum*, non quòd sint omnium sanctorum sanctissima, sed quia sunt sanctis hominibus à Christo destinata. Sic enim ipse, quid vellet, exponit, cum ait: *Panis & calix iste non est communis omnium, nec cuiusque indigni, sed sanctorum.* Subjicit *Origenes*: *Quantò magis hoc & de Verbo Dei dicemus, hic sermo non est omnium, nec cuiuscunq; sed sanctorum est?* Proinde *Chryostomus* ait sacerdotem solitum fuisse panem inter celebranda sacra mysteria ostendere & proclamare *sancta sanctis*. Eodem sensu non modo Sacramenta, sed res etiam alias ad sacrum usum destinatas *sancta sanctorum* appellare possumus. Ita scriptum & definitum est à *Bonifacio primo* Papa Romano inter *Decret. Bonifac. 1. decre. 3.* *Omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, sive quicquid fuerit simul consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Sed ista significatio sancti sanctorum à præsentate *Danielis* loco est aliena. Refelluntur hinc etiam, qui existimant hoc *Gabrielis* vaticinium, in fine demum seculi esse implendum. Atqui non

in fine seculi Christus demum est ungenus. Videatur Augustinus tomo 2. epist. 80.

*Documenta hęc sunt:*

1. Perfectam & verè Spiritualem unctionem, quæ per unctionem sancti sanctorum figurata fuerat, in Christo esse exhibitam, qui & suam humanam naturam, & omnia sua membra quæ ipsi, ut Capiti, per fidem sunt unita, & cælum modo spirituali unxit.
2. Unctionem Spiritus non alibi esse nobis quærendam quàm in Christo, qui *κατ' ἰσχυρὸν* meritò vocatur sanctum sanctorum, vel sanctus sanctorum.
3. Messiam esse jam exhibitum; & unctionem per Angelum Gabrielem prædictam esse jam factam, unde legalis & typica unctio cessavit. Si Messias nondum venit, sed adhuc expectandus, ut Judæi volunt, unctio legalis nondum desisset: si autem, quod verum est, unctio legalis cessavit, Messiam venisse & unctum esse certum est.

*Vers. 25.*

Igitur cognoscito & intelligito: à promulgatione edicti [*Hebr. ad verbum, ab egressu verbi: egredi enim vel exire decreta dicuntur, quum promulgantur*] de reducendo & de ædificando Ierosolyma: [*Hebr. ad verbum, ad faciendum reverti & ad ædificandum Ierosolyma:*] usque ad Messiam [*seu Christum*] antecessorem [*Ducem*] erunt septimana septem: (*Nota accentum Athnach hoc loco potestatem coli in distinguendo non habere: nam sequentes 62. septimanae sunt conjungende cum præcedentibus septem*) & septimana sexaginta & duæ; revertetur & ædificabitur platea & fossa, idque in angustia temporum.

Hactenus explicata est generalis prædictio de septuaginta septimanis, quibus populus Iudaicus politiam ex præscripto Legis Moisaë habiturus & urbem Ierosolyma inhabitaturus erat: deinceps sequitur specialis prædictio, in qua perpendi debet primò hortatio Angelica, deinde particularis omnium expositio. Hortatio Angelica est hæc: *Igitur cognoscito & intelligito*. His verbis Daniele excitat ad attentionem & considerationem eorum, quæ erat explicaturus quasi dicat *Accepisti generaliter & in summa septimanas septuaginta super populum tuum & urbem sanctam tuam esse decisas, ad cohibendum defectionem illam, de qua antea cognovisti, & ad obfignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem & ad adducendum justitiam sempiternam, idque obfignando visionem & prophetam & ungenus sanctum sanctorum: nunc specialius & particularius explicabo. Tu igitur attentus esto, & quæ dicturus sum cognoscito, hoc est, notitiam rerum antea tibi non cognitarum percipito*

pito : & intelligito , hoc est , percepta ruminato , perpendito , ut quid sibi ea velint , penitus assequaris . Ex ista hortatione Angelica colligimus .

1. Si Angelus Daniele Prophetam sapientiâ alijsque donis excellentissimis præ cæteris hominibus ornatum , toties est hortatus ad attentionem : multò magis nobis opus hortationibus esse , qui naturâ segnes , somniculosi , ignavi & inepti sumus ad rerum divinarum perceptionem , qui sapientiâ , sanctitate , alijsque donis longissimè sumus inferiores Danieli . Neque verò satis est , semel nos excitari : sed subinde nobis opus est novis exhortationum stimulis , ut attentiores fiamus ; quia in media mysteriorum cælestium meditatione segnescere , & cogitationibus ad aliena diffuere atque dilabi solemus , sicut Angelus Daniele non solum initio , sed etiam medio sui vaticinij excitavit ut attentus esset . Quocirca nemini molestum , nemini tædiosum , nemini fastidio esse debet , quòd exhortationes ad seriam attentionem tam frequenter iteramus . Si quis putet , illas prætermitti posse , se opus illis non habere ; nimium est superbus , nimium sibi tribuit , Daniele superiorem se esse putat . Ego de me dicam : agnosco & profiteor , mihi talibus exhortationum aculeis semper opus esse , quia sentio me illis acriùs incitari . Quin nullum dubium est , quin Deus hortationes ad rem unam & eadem , ideo toties , cum ipsidem propè , tum alijs sed æquipollentibus verbis in scriptura inculcarit , ut tam frequèti repetitione , earum summam necessitatè declararet : sicut mandata alijs dantes , sæpe iteramus , quæ rectè curari volumus .

2. Non esse satis notitiam aliquam rerum divinarum antea ignotarum percepisse , sed requiri præterea illarum diuturnam ruminatiõnem , profundam meditationem , altam cogitationem , ut penitus eas intelligamus . Multi cognoscunt mysteria quædam divina , sed non intelligunt : cognoscunt verba , non intelligunt sensum . Iurisperiti dicunt , scire leges , non esse verba earum tenere , sed vim & potestatem : ita nos dicere possumus , scire sacras scripturas , non esse verba earum tenere , sed vim & potestatem . Hæc de hortatione Angelica : sequitur particularis omnium expositio , in qua duo consideranda : Primum est , unde septuaginta septimanarum principium fit ducendum : deinde quomodo septuaginta illas septimanas Angelus partiatur .

Principium septuaginta septimanarum statuit Angelus in exitu Verbi de reduciendo & de ædificando Jerosolyma , hoc est , in publicatione edicti de iterum extruendis Ierosolymis . Nam verbum וַיִּבְנֶה in lingua Hebræa significat iterationè ejus actionis quæ exprimitur eo verbo cum quo cõjungitur : id liquet ex hoc eodè versu , ubi sub finem dicitur , revertetur & ædificabitur platea & fossa , hoc est , iterum ædificabitur platea & fossa . Quatuor edicta recitatur in libris Ezræ & Nehemiæ : itaq; vidè-

dum ad quodnam illorum, initium 70. septimanarum sit referendum. Primum edictum est Cyri, quod exstat. 2. Chron. 36. v. 22. 23 & Ezræ 1. v. 1. & sequentibus. & cap. 5. v. 13 & 6. v. 3. Secundum edictum est Darij Nothi quod exstat Ezræ. 6. v. 1 & sequent. Tertium est Artaxerxis Mnemonis qui anno 7. regni sui ex quo solus regnare cœpit, iterum permittit reduci populum ex Babylonia, duce Ezra Sacerdote, ut est Fzr. 7. Quartum est itidem Artaxerxis Mnemonis, qui anno 20. regni sui Nehemiam dimisit Jerosolyma cum potestate urbis instaurandæ. Nehem. 2. Ad edictum Cyri initium septuaginta septimanarum non potest referri: quia sic finitæ fuissent illæ, 45. annis ante Christum natum: Atqui finis earum est in destructione & fine urbis Jerosolymorum, ut ex verbis vaticiniij manifestè patet & ex testimonio Christi, qui hoc Danielis vaticinium accommodat ad urbis & templi destructionem à Romanis faciendam Math. 24. 15. Marc. 13. 14. Luc. 21. 20. Ad primum edictum Artaxerxis Mnemonis referri nequit: quia sic demum 24. annis post ultimam desolationem urbis Jerosolymorum finitæ fuissent septuaginta septimanæ, quod & ipsum vaticinio Angeli repugnat, quoniam ultimam septimanam tractans, etiam ad dimidias ejus partes venit, & in altera dimidia parte destructionem urbis commemorat. Multò minùs alligari poterit principium septuaginta septimanarum ad annum 20. Artaxerxis: sic enim 37. annis demum post everisionem urbis Jerosolymorum finitæ fuissent septimanæ septuaginta. Restat igitur ut principium septimanarum septuaginta ad edictum Darij Nothi referamus, quod secundo anno regni ejus est promulgatum, ut constat ex cap. 4. Ezræ. v. 24. Nam ab anno secundo Darij Nothi (qui ante susceptum regnum dicebatur Ochus; postea verò cum pervenisset ad regnum de more Persico assumpsit Darij nomen: apud historicos autè Darius Nothus appellatur: nam erat nothus) usque ad everisionem urbis Jerosolymorum fluxerunt præcisè anni 490. ut postea ex Epilogismo annorum liquebit.

Hoc breviter de principio septuaginta septimanarum. Deinde Angelus illas dividit in tres partes: In septem septimanas, in sexaginta duas: & unam, cujus medietatem meminit.

De primis duabus partibus agitur hoc versu 25. in quo prædicit Angelus fore septimanas septem & sexaginta duas usque ad Messiam antecessorem, & reversuram atque ædificatum iri plateam & fossam, idque in angustia temporum. Septem septimanæ sunt 49. annis eos separatim numerat: quia constituti fuerunt templi & murorù civitatis reparationis; & totidem anni intercesserunt ab edicto Darij Nothi ad perfectam urbis instaurationem. Nam reditum est ad ædificationem templi jussu Dei per Chaggæum cap. 1. & permisso Darij Nothi anno secundo regni ejus Ezræ. 4. 24. Inde effluerunt 18. anni usque ad finem regni Darij Nothi. Vicesimo anno Artaxerxis Mnemonis Nehemias profectus est

est Ierofolyma ad ædificandos muros & plateas civitatis Nehem. 2.1. permanfit verò Ierofolyms integros annos undecim donec muros instaurasset, nempe usque ad 32 annum Artaxerxis quo Nehemias ad regem redierat, Nech. 5.14. & cap. 13.6. Annis igitur octodecim Darij Nothi addatur anni viginti Artaxerxis Mneimonis, fient 38. His jungantur anni 11. quibus Nehemias muros & civitatem instauravit (nam duodecimo qui fuit 32. Artaxerxis reversus est ad regem) erunt præcisè anni 49. hoc est, septimanæ septem. Hæc de primo partitionis membro. Secundum membrum complectitur sexaginta duas septimanas hoc est, annos 434. quorum principium numerandum est ab anno 32. Artaxerxis Memoris, quo Nehemias reparatis muris Ierofolymorum ad regem erat reversus. Conjungendi autem sunt isti anni 434. cum præcedentibus 49. quia unum habent communem finem, nempe usque ad Mesiã antecessorem. Hic quæritur, *quisnam intelligendus per hunc Christum antecessorem.* R. Schelomo dicit, intelligendum Cyrum, quia dicitur. Iesa. 45.1. Sic ait Iehova uncto suo Cyro, cujus confirmaturus sum dexteram, ad sternendum coram eo gentes, ut lumbos regum dissolvam. Eundem ait R. Schelomo fuisse Ducem Iudæorum quatenus præcepto ejus è captivitate Babylonica fuerint reducti. At hanc interpretationem refutat ipsemet R. Schelomon. Nam ait 70. septimanas finiri in destructione Ierofolymorum per Titum. Quod si ita est, tum Cyrus hic non est intelligendus: quia demonstrari potest, à Cyro usque ad everfionem Ierofolymorum per Titum effluxisse annos 607. At secūdum R. Schelomonem tantum 441. anni effluxissent. Secundò contextus verborum Angeli etiam refutat interpretationem R. Schelomonis. Nam si usque ad Cyrum fuerunt 7. septimanæ: quorsum erunt referendæ 62. septimanæ, quæ adjunguntur? Ipse non sumit eas nominandi casu, quemadmodum nos Christiani, sed ablativo; & jungit cum sequentibus verbis, ut sit sensus: Sexaginta duabus septimanis ædificabitur platea & fossa, h. e. annis 434. At refellit eum Liber Nehemię, qui testatur annis 12. plateam & fossam perfectam fuisse Tertio refutat eum chronologia ejus propria: nam principium 70. septimanarum ducit à destructione templi & civitatis per Nebucadnetzarem facta. Atqui ab illa destructione usque ad Cyrum dicit effluxisse annos 52. sed septimanæ septem sunt anni 49. Defunt igitur tres anni. Hoc vidit, ideo præoccupat, & ait, 7. hebdomadas annorum esse 49. annos & adhuc ultra tres annos: sed Angelum non numerasse nisi hebdomadas perfectas: tres autem annos qui pertinent ad hebdomadam sequentem omisisse, quia numerentur cum hebdomadibus sequentibus. At hoc est aperte ineptire & aystata loqui. Nam si tres anni pertinent ad sequentem hebdomadam: non ergo ad septimanas septem præcedentes. Ita seipsum Rabbi iste confutat. Quod verò ait, principium numerandi septimanas 70. esse capiendum à destructione templi & urbis

per Nebucadnetzarem: & inde tamen 52. solum annos usque ad Cyrū cōputat, in eo palām aduersatur Jeremiæ, qui 70. annos captivitatis futuros prædixerat, nō 52. Tantū de interpretatione R. Schelomonis. Aben Ezra per Christum ducem intelligit Nehemiam: alij intelligunt Zerubbabelem: R. Levi ben Gerson Jehoschuah sacerdotem summum: alij nomen singulare volunt positum pro plurali & intelligendos unctos Domini, hoc est, sacerdotes. Verū istorum omnium sententia est repudianda. Nam per Mesiā seu unctum Ducem intelligendus est Filius ille Dei servator mundi promissus patribus. Etsi autem post septem septimanas ponitur Athnach: tamen ab illis non sunt sensu separandæ septimanæ sexaginta duæ. Ista enim diuulsio veritati & experientię repugnaret. Nam si verba illa: usque ad Mesiā antecessorem: idem valent, atque usq; ad Christi adventum, certum est Mesiā 49. anno post edictum Darij Nothi non venisse. Sin verò tantundem sibi volunt ac si diceretur, tantisper dum Mesiā futurus est hujus populi dux & antecessor, ne sic quidem vera erunt: nam certum est, Mesiā elapsis primis annis 49. non desiisse esse populi Judaici Ducem. Coniungendæ igitur sunt septem primæ & sexaginta duæ septimanæ, quas prædixit Angelus effluxuras usq; ad Mesiā antecessorē, hoc est, tantisper dum Mesiā seu Christus antecessor & Dux hujus populi futurus esset, & non evidenti, publico, omnibusq; manifesto iudicio rejectionem ejus testatam facturum. Interea prædicit instauratum iri plateam & fossam, hoc est, urbem Jerosolymorū. De hac instauracione videatur capi. 2. 3. & 6. libri Nehemiæ.

Sub finem versus additur: *idq; in angustia temporū*: quibus verbis prædixit Angelus, totis illis septimanis septē & sexaginta duabus variis & graves calamitates populo obventuras, ne fortē existimarent, liberationem populi Dei ex captivitate Babylonica tum instantem & paulò post factam esse redemptionem illam primariam præcipuamq; in qua sola Judæis esset hærendum: sed post illam, expectandam aliam longè meliorem & præstantiorem, quam Deus per Prophetas suos pronunciauerat, ut Iesaiam cap. 52. & Jeremiam cap. 31. Sed etiam hoc sine prædixit Angelus anxia fore tempora; ut hac præmonitione fideles fulcirentur, ne desponderēt animos, cū tot incommoda experturi essent à Samaritanis, malis vicinis, ædificationē templi & urbis impedire conantibus. Angustias verò temporum, quas experti sunt Judæi, prædixit etiā antea Deus cap. 7. & 8. Danielis & post iterū cap. 11. describit verò Ezra, & Nehemias & alij Prophetæ, autorq; primilibri Machabæorum. Iosephus item & Philo Iudæi.

*Habemus sensum verborum Angeli.*

Quod ad usum attinet, sunt hinc excerpti & diligenti meditatione perpendendi duo præcipui loci: quorū primus est de duobus titulis servatoris nostri: alter de ædificatione Ecclesiæ Dei.

*De primo.*

Duo tituli hinc tribuuntur Servatori nostro. Nominatur enim *Messias* & *Dux*. Dicitur *Messias* à *מָשִׁיחַ* sicut Græcè Christus *Χριστός*, hoc est, ab unguendo. Unctio autem illa fuit ordinatio hujus personæ ad officium Mediatoris inter Deum & electos, cum collatione plenitudinis donorum Spiritus Sancti.

Facta est à Patre; sicut testatur Christus ipse Ioh. 6.27. *Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam eternam, quam Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater obsignavit Deus*, hoc est, huic muneri inaugura- vit, Deo videlicet homines reconciliandi in vitam eternam. Et Iohannes Baptista Ioh. 3.34. *Is quem misit Deus, Verba Dei loquitur: non enim huic Deus spiritum dat ad mensuram.* Et Paulus Hebr. 1.9. ubi ad Filium Dei refert illa verba Psal. 45.7. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo exultationis, ultra consortes tuos.*

Cum autem Christus sit *verus Deus & verus homo in una persona*, queritur secundum quam naturam sit unctus? RESP. Quatenus unctio est designatio ad officium reconciliationis electorû cum Deo; secundum utramque naturam Christus est unctus, hoc est, constitutus Mediator & Servator mundi. Quatenus verò unctio est collatio donorum Spiritus Sancti, tantum secundum humanam naturam est unctus, hoc est, donis Spiritus sancti perfusus. Nam secundum Deitatem non potuit ungi, hoc est, donis Spiritus Sancti ornari. 1. quia Deitati nihil potest donorû dari; nihil sapientiæ, justitiæ, potentiæ potest ei accedere. 2. quia Spiritus Sanctus per quem dona ista tribuuntur, non minus est Filij proprius quam Patris.

Hæc observanda sunt, ut nos muniamus adversus errores Ariano- rum & Papistarum. Ariani enim contendunt, Christum non esse Deum quia sit unctus; Deus autem ungi non possit. At illi peccant non obser- vata ambiguitate vocis. Nam unctio illa quâ Christum dicimus unctum, secundum utramque naturam est ordinatio ad officium Mediatoris & Servatoris mundi: at illi nomine unctiois intelligunt effusionem donorû Spiritus sancti. Deinde iidem Ariani & Papistæ contendunt, Christum esse Mediatorem tantum secundum humanam naturam, quia secundum eam tantum potuerit ungi. Atqui rursus conatur decipere ambiguitate vo- cis. Nam cum dicitur, secundum humanam tantum naturam ungi potuisse, per unctioem intelligitur collatio donorû Spiritus Sancti, quam in solâ humanam Christi naturam cõpetere libenter fatemur. At cum nos dici- mus, Christum etiam secundum Deitatem esse unctum, intelligimus ordi- natum esse, ut sit noster summus Propheta, Sacerdos & Rex.

*Sed hæc alibi pluribus explicantur: accedo igitur ad alterum titulum.*

Vocatur secundò *ἡγεμῶν*, hoc est, *Dux seu Antecessor*, nempe populi



novamq; religionem sunt amplexi: ita videmus hodie, quàm res sint turbulente; quoniam non desinunt furiosè Ecclesiam impugnare manifesti hostes Turcæ, Papani & alij, vel gladio, vel linguis virulentis, vel gloriosis provocationibus ad disputationes & contentiones vel aliis modis; domestici hostes clandestinis artibus, ambitione & *ἰτροδοξία* *αὐτῶν* subvertere ædificium moliuntur; ofores disciplinæ omnem dissipant ordinem, apostatæ omnia moliuntur quibus ædificationem Ecclesiæ Christi interturbent. Ideo autem vult Deus ædificationem Ecclesiæ suæ cum angustiis temporum conjunctam esse; ne fideles putent, in eo felicitatem nostram sitam esse, si in his terris pacatam vitam agamus, & nullis à mundo molestiis afficiamur: sed ut sciamus beatitudinem nostram esse in cælis, & identidem stimulemur ad desiderium cōversandi cum Christo. Quotiescunq; incommodum aliquod Ecclesia ab hostibus sive externis sive domesticis patitur; in mentem venire nobis debet, admoneri nos; oportere Ecclesiam Dei ædificari in hoc mundo inter temporum angustias: admoneri nos, felicitatem solidam non esse in his terris quærendam: admoneri nos, ut suspiremus & adspiremus ad Christum antecessorem nostrum, ut ubi ipse est, nos quoque simus.

*Verf. 26.*

Et post septimanas sexaginta & duas, excidetur [ *Vulgata Latina, occidetur* *כר* significat propriè excidere. *Græca* *ἔξολοθῆσθούνη*, h. e. funditus perdetur, penitus exstinguetur. ] Messias [ *Vulgata Latina, Christus, rectè etiam. Græca, χριστός; perperam. משיח* enim est *χριστός*. Præcedens verbum & hoc, rectius vertit Symmachus, *ἡ ἀποπόρευσις τοῦ χριστοῦ*, ex Hebræo, ] & nihil ei ( scilic. erit. *Vulgata Latina, & non erit ejus populus qui eum negaturus est: Sensu verborum Angeli paraphrasi expresso. Græca, οὐκ ἔσται ἡ ἀποπόρευσις τοῦ χριστοῦ* malè. Symmachus vertit, *οὐκ ἔσται ἡ ἀποπόρευσις αὐτοῦ*, ex Hebræo, expleto verbo cujus Ellipsis est in Hebræo: ) & civitatem ipsam & sanctuarium ipsum perdet populus Ducis venturus. [ *Vulgata Latina, populus cum Duce venturo. Græca, οὐκ ἔσται ἡ ἀποπόρευσις τοῦ ἀρχιεπιστοῦ*. Aquila rectius *λαὸς ὁ ἀποπόρευσις τοῦ ἀρχιεπιστοῦ*, ] & finis ejus ( nempe, erit ) cum inundatione [ *Vulgat. Lat. vastitas. Græca addit verbum ἡ ἀποπόρευσις, subint. Iudæi: istud verò nomen reddit convenienter Hebræo, ἐν κατακλυσμῷ, & usq; ad finem [ Vul. Lat. post finem. Græca mollius, ἕως τέλους ] belli præcifum desolationum [ Vid. erit. *Vulg. Latina, statuta desolatio. Sensus est redditus. Græca, σωτηρίων τῶν ἀποπόρευσις. σωτηρίων* in Græco convenit nomini *πολις* quod præcedit: Sed in Hebræo *כרח* refertur ad sequens nomen. *τάξαι*, redundat. ]*

*Analysis.*

Absolutis primis duobus membris partitionis septimanarum: sub.

jicitur duobus ultimis versibus tertium partitionis membrum, in quo prædicitur quid septuagesimâ seu ultimâ septimanâ fieri debuerit, nimirum exciso Messia & rejecto à populo Iudaico, civitatē & sanctuarium destructum iri à Gentibus, idq; cum horreda populi Iudaici clade: eâdem septimanâ multis fedus corroboratum iri: & in medio septimanæ illius planè abrogatum iri sacrificium & munus, & tãdem per exercitum Gentilium omnia vastatû & desolatam iri. In versu 26 prædicitur horrendum judicium Dei adversus Iudæorum gentem, nempe tum civitatis & sanctuarij destructio horrenda, populi Iudaici clades, præmissa declaratione temporis & causarum *שבעת ימים* iudicij istius. Tempus his verbis circûscribitur: *Post septimanas sexaginta duas*, nempe de quibus versu præcedente dictum, quæ inde à 32. anno Artaxerxis Memoris supputandæ sunt, hoc est, septimanâ septuagesimâ seu ultimâ. Causæ *שבעת ימים* commemorantur duæ, crudelis interfectio Christi & obstinata ejusdem rejectio. De crudeli interfectione Christi dicitur: *Excidetur Messias*. Hic nobis, ut verum habeamus istorum verborum sensum, duo sunt consideranda; nimirum quis per *Messiam* hoc loco intelligatur, deinde quid per *excisionem*. R. Schelomo hic *Messiam* interpretatur de Herode Agrippa Rege Judæorum, quem dicit Messiam appellari propterea quòd reges ungerentur, sicut 2. Sam. 1. de Saule dicitur. *Quare non timuisti mittere manum in Messiam seu unctû Domini?* Hunc verò Agrippam regem ait R. Schelomo occisum circa tempora, quibus destructa est civitas Ierosolyma per Vespasianum & Titum. At ista interpretatio est falsa: primò quia Angelus loquitur in præcedente & hoc versu de eodem Messia, ut series textus ostendit: non igitur alius hic intelligitur Messias, quàm in præcedente versu. Iam si verum esset, in præcedente versu significari Cyrum, ut ipse contendit, tum idem Cyrus etiam in hoc versu innueretur, atque sic Cyrus tempore Vespasiani Imperatoris demum interfectus esset, quod falsissimum est. Secundò quia nulla fide digna historia docet, Agrippam circa tempus destructionis templi & urbis interentum: & Iosephus libro de bello Iudaico ait, eum belli istius tempore Romanis confederatum fuisse. Christiani quidam Messiam hic interpretantur summum Sacerdotem Iudæorum, qui apud Mosen passim Messias seu unctus appellatur: adjuntque prædictam his verbis abdicationem summi sacerdotis, cum exhibitio vero illo Sacerdote Summo, non debuerit ampliù summus sacerdos typicus existere. Quorsum enim esset typus, præstitâ veritate? Verum quidem est, Sacerdotium Leviticum unâ cum summo Sacerdote Levitico cessare debuisse, ut Paulus docet Hebr. 7. v. 11. & 12. Sicut etiam re ipsa cessavit, ex quo per Titum destructum est templum, in quo solo summus Pontifex munere suo poterat defungi offerendis sacrificiis, ingrediendo quotannis in sanctum sanctorum, dies festos à Deo mandatos celebrando. Sed hæc interpretatio huic loco non quadrat.

erat. Nos per *Messiam* intelligimus hic *DOMINUM JESUM*, *Servatorem* mundi, quemadmodum in precedente versu. Nam eundem illum *Messiam* prædixit Angelus excidendum fuisse, usque ad quem septem illas septimanas & sexaginta duas fore prænuñciavit.

Per excisionem verò intelligitur hinc interfectio, etiam Rabbiais consentientibus. Quod igitur dicit Angelus, *Excidetur Messias*, sensum istum habet, excidetur e terra viventium servus ille Dei justus, qui peccata multorum bajulabit, ut de eodem *Messia* prædixit *Iesaias* cap. 53. v. 8.

Hic incidit *ætiologia*: Quomodo hæc verba possint intelligi de *Christo* morte crucis sublato, cum finitium supputandi septimanas à secundo anno *Darij Nothi* ducatur, & finis in destructione templi & civitatis *Jerosolymorum* statuatur, ultimo anno *sexagesimæ quartæ septimanæ* excisus fuerit: in hoc autem versu ab Angelo dicitur, post 62. septimanas, quarum antea facta fuerat mentio, hoc est, septuagesimam septimanam excisum iri? **R E S P.** Hanc dubitationem solvit consideratio phrasæ *Hebraicæ*. *Hebræis* enim frequens est *zeugmatica constructio*, quâ particula aliqua ad explendum sensum ex antecedente est repetenda: sicut hoc loco dicitur, *Post septimanas sexaginta duas, excidetur Messias*, pro, *Post septimanas sexaginta duas, post nimirum quàm Messias excidetur*. Ideo ante verbum *תקופת* ponitur *Zakèph Katòn*, nempe incisum, non autem semincisum aliquod. Proinde verborum Angeli sententia non est; *Messiam* post illas sexaginta duas septimanas demum excidendum: sed, *Post sexaginta duas septimanas illas, exciso Christo & rejecto à populo Judaico, destructum iri templum & civitatem*. Non est autem necesse, intelligi demum *Christum* excisum & à populo *Judaico* rejectum ultimam septimanam: sed excisio *Christi* & rejectio hoc versu memorantur solummodo ut causæ destructionis templi urbis quæ & cladis populi, quæ in ultimam incidit septimanam. Ideo per *Zakèph Katòn* hæc verba, *Post sexaginta duas illas septimanas*, à sequentibus distinguuntur. Nam sicut ad versum 24. dictum est, finem septimanarum septuaginta in excidio populi & civitatis statui, quia expressè Angelus ait; *septimanas illas septuaginta decisas esse super populum & civitatem sanctam*: ita versu 27. prænuñciatur, in medio septimanæ ultimæ abolitum iri sacrificium & munus, & legiones Romanas invasuras *Judæam*. Atqui legiones Romanæ non invaserunt *Judæam* eadem illa septimana qua *Christus* est excisus. Quapropter excisio *Christi* non est ad ultimam septimanam referenda: sed in historia ultimæ septimanæ memoratur, ut prima causa propter quam templum, civitasque destrui & *Judæi* publico omnibusque futuris seculis memorando exemplo rejici à *Deo* debuerunt.

*Secunda causa* tam horribilis iudicij Dei proponitur ab Angelo his verbis: *Et non ei, scilicet erit: vel, & nihil ei erit*. Hæc etiam verba primum vindicabimus à depravatione *Judeorum*: deinde veram eorum sententiam ostendemus. **R.** *Schelomo* ea interpretatur de *Herode Agrippa*,

quali sensus esset, & ipse Agrippa non erit, quoniam per mortem tollitur è medio. Alij Judæi sic explicant: *Et non ei, id est, Non Agrippa nec aliquis rex in posterum de gente Judæorum futurus est, quousq; veniat Christus promissus in Lege & Prophetis.* At hæc interpretatio est falsissima: nam *primò* de Herode Agrippa verba ista intelligi non posse, ex illis quæ nuper dicta sunt patet, quæ non est necesse jam repeti. *Secundò* falsum est, Agrippam fuisse de gente Judæorum. Et si enim Judææ rex fuit: tamen non de gente Judæorum fuit, sed Edomæorum. Tertiò falsum est, Messiam promissum in Lege & Prophetis debuisse demum venire longissimo tempore post destructionem secundi templi & civitatis: quia nullibi hoc tradit Lex, nullibi hoc prædicunt Prophetæ. Sed in Lege, nimirum Gen. 49. v. 10. prædixit Jacobus, *non destitutam tribum à Juda, neque Legislatorem è medio pedum ejus donec Veniret Sibilò, hoc est, filius secunde ejus, & ei futuram obedientiam populorum.* Et inter Prophetas per Chaggai prænunciavit Deus, *se impleturum domum secundam gloria: major rem futuram esse gloriam domus posterioris, quam illius prioris, quia in hoc loco dispositurus fuerit pacem.* Debuit igitur Messias ille promissus venire, stante adhuc secunda domo. Atqui Judæi ipsi fatentur, nunc tribus Judææ tribum Levi ab aliis secerni posse: Deinde domus secunda destructa & desolata est annos jam 1527. nimirum à 71. anno à nato Christo Iesu usq; ad hunc 1598. Unde liquet, Messiam illam in Lege & Prophetis promissum jam venisse.

*Faceſſat igitur falſa Iudæorum interpretatio: Nunc veram videamus.*

Verba hæc: *Et non ei erit:* hunc sensum habent: Et habebitur pro nihilo: erit vermis ac non vir, opprobrium hominū & contemptus populo, ut David de eo est vaticinatus Psal. 22. 7. *assurget ut tenera planta coram illis, qui non credent prædicationi, sed ejus specie offendentur, assurget tanquam radix è terra solitaria, non erit ei forma neque decor, & quando intuebuntur eum, non inerit species cur desiderent eum: Erunt contemptus & abjectissimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, continenter versans in difficultatibus rerum & omni infirmitate humana: erit velut homo abscondens faciem, contemptus ita ut non sint eum æstimaturi, quemadmodum de eodem prædixit Iesaias cap. 53. 3.* Hoc comprobatur historia Evangelica: nam Principes Judæorum, summi sacerdotes, Pharisei & cæteri pleriq; Judæi humili specie Christi offensi, eum nihili fecerunt, coram Pilato eum abnegarunt, cum clamarent, se eum pro Rege non agnoscere, sed solum Cæsarem Iohann. 19. 17. Sanctum illum & justum abnegarunt, & prætulerunt ei homicidam, quem postularunt sibi condonari Act. 3. 13. 14. Quinq; Pilatus titulum cruci hunc imposuisset; **IESUS NAZARENUS REX ILLE IUDÆO-**

IUDÆORUM, dixerunt Pilato primarij sacerdotes, Ne scribito, Rex ille  
 Iudæorum: sed illum dixisse, Rex sum Iudæorum Ioh. 19. vers. 21. De  
 ipsius morte ita triumpharunt, ac si planè redactus in nihilum esset.  
 Hoc Petrus exprobrat Primoribus populi & Senioribus Israël Act. 4.  
 v. 11. *Hic est lapis ille pro nihilo habitus à vobis ad ficantibus, qui factus est caput  
 anguli.* Unde consequitur, Christum non propter aut pro se mortuum  
 esse. h. e. propter sua aliqua peccata: sed ex obstinata malitia Iudæorum.  
 Quapropter *17 pax* non malè etiam redditur: & non propter se. Secun-  
 da igitur causa propter quam Deus templum & urbem Ierosolyma vo-  
 luit deleri, fuit malitiosa rejectio Christi. Servati fuissent, etsi per erro-  
 rem Christum morte affecerunt, si modò ex mortuis suscitatum & in  
 cælos sublatum adhuc vera fide amplexi essent: Sicut illi quibus Pe-  
 trus concionabatur Act. 2. 36. *Certò sciat ergo tota domus Israël, quòd hunc  
 Deus fecerit Dominum & Christum, hunc ipsum Jesum, quem vos crucifixistis.*  
 Sed quia pleriq; omnes non solum occiderunt Christum, sed etiam re-  
 pudiarunt malitiosè & contumaciter: ideo severissimum in eos judi-  
 cium Deus effudit. Hoc iudicium sequentibus verbis Angelus prædi-  
 xit: & ostendit quòdnam illud sit; secùdò quis illud exsecutus erat:  
 tertio quàm grave erat futurum. Quòdnam iudicium illud sit prædi-  
 xit his verbis: *Et civitatem ipsam & sanctuarium ipsam perdet.* Ita prænun-  
 ciavit excidium, devastationem & destructionem Ierosolymorum, &  
 sanctuarij, hoc est, tum templi Ierosolymitani, tum totius Iudææ, quæ  
 habitaculum sanctitatis Dei appellatur Exod. 15. 13. Quis iudicium Dei  
 adversus Iudæos exsecutus erat, vaticinatus est his verbis: *populus  
 Duois seu Antecessoris venturus.* Intelligit Gentès quæ tum quidem adhuc  
 erant absq; Antecessore Christo, alienæ à repub. Israël, & extraneæ,  
 quod ad federa promissionis attinet, spem non habentes & absq; Deo  
 in mundo Ephes. 2. 12. sed futuræ erant populus Antecessoris, h. e. Chri-  
 sti servatoris mundi, atque adeo populus Dei, juxta hoc Angeli vatici-  
 nium, cum quo consentit quod exstat Ose. 2. 23. *Vocabo populum qui meus  
 non erat, populum meum: & ea quæ dilecta nõ erat, dilectam:* quem adin-  
 citatur à Paulo Rom. 9. 25. Exercitus enim Romanus, quem Vespasia-  
 nus & Titus adversus Iudæos rebelles duxerunt, ex Gentibus consta-  
 bat, quæ postea ad Christi regnum prædicatione Euangelij vocatæ po-  
 pulus Antecessoris Christi evaserunt. Gravitate deniq; iudicij divi-  
 ni prædixit his verbis: *& finis ejus erit cum inundatione, & usq; ad finem belli  
 præcisum desolationum erit.* Hæc etiam verba sunt primò à depravatio-  
 ne Iudæorum asserenda: deinde vera interpretatione illustranda. R.  
 Schelomo ea refert ad populum Romanum q. d. finis populi Romani  
 erit cum inundatione, quoniam ille populus & omnes adversarij Ju-  
 dæorum tandem vastabuntur per regem Messiam, & à Deo definita de-  
 solatio civitatis Ierusalem & regni Iudæorum erit usque ad finem belli  
 Gog & Magog, de quo loquitur Ezechiel cap. 38. & devincetur per

regem Messiam & tunc restituetur civitas Ierusalem & regnum Iudæorum. At primò Gabriel non de fine populi Romani, sed de fine civitatis & templi Ierosolymitani loquutus est, ut sequens versus apertius demonstrat. Deinde somnium est Rabbincum, Regem Messiam bellum moturum corporale Romanis aliisque Iudæorum hostibus, eosque debellaturum & restitutum terrenam urbem Ierolyma & terrenum regnum Iudæorum: hoc enim nullibi Deus per prophetas prædixit. Tertiò falsum est, à Deo definitam desolationem civitatis Ierusalem & regni Iudæorum duraturam usque ad finem belli Gog & Magog, de quo Ezechiel cap. 38. Nam bellum Gog & Magog, de quo Ezechiel cap. 38. & 39. vaticinatus est, non intelligitur aliud, quàm quod reges Asiæ minoris & Syriæ, Antiochi aut Seleucidæ moturi erant Iudæis. Gog enim est minor Asia, & terra Magogi est incolarum Scythiæ sive Sarmatiæ, qui tum Mediam obtinebant, & Asiam depopulabatur & vastabant omnia usque ad Syriam cælen, ubi primas tenebat omnis idololatriæ Hierapolis à Scythis condita, quæ Syris dicebatur Magog, teste Plinio lib. 5. cap. 23. Bellum hoc Gogi & Magogi gestum est ante everisionem Ierosolymorum & templi annis propè 240. Quis igitur non videt, ineptissimam esse R. Schelomonis interpretationem? Vera autem explicatio hæc est, prædixisse Gabrielem, gravissimum fore iudicium Dei adversus Iudæos, quorum civitas & templum esset planè everendum & solo æquandum. Describitur autem gravitas illa iudicij divini duobus argumentis: primùm similitudine, *finis eius erit cum inundatione*. Sententia est: Quemadmodum coorta tempestate, ubi rapidus montano flumine torrens inflatur & turgit, sternit agros, sternit fata læta, boumque labores, præcipitesque trahit sylvas, & omnia obvia prostermit & agros longè lateque desolat: ita exercitu Romano in Iudæam ingresso, ubi bellum fervere cœperit, milites devastabunt omnia & finem afferent urbi & templo. Hæc similitudo passim in Scripturis sacris usurpatur ad devastationem hostilem depingendam: quemadmodum Iesa 8. v. 7. & 8. *Ecce Dominus faciet ut ascendant contra istos aquæ illius fluminis fortissimæ & amplissimæ, rex Assyriæ, & omnis gloria eius: qui ascendens supra omnes valles aquas suas, iensque super omnes ripas suas, permeabit Jebudam, inundabit ac transibit, usque ad collum pertinet*. Similiter gentes quæ Sancheribo operam daturæ erant in opprimenda Iudæa, dicuntur tumultuari tumultuatione qualis est aquarum multarum inundantium. Iesa. 18. 1. 2. Ita copiæ Babyloniorum potentissimæ comparantur cum aquis exundantibus & torrente inundante Ierem. 47. 2. Eodem modo legiones Romanæ instar torrentis ex imbribus aucti & turgentis inundaturæ erant totam Iudæam & everfuræ, populumque Iudaicum perdituræ.

Secundò describitur gravitas iudicij divini ab effectu belli, eoque certissimo, quum sit à Deo definitum: *usque ad finem belli præcisum desolationum erit*. Sensus est: Hoc bello afferetur urbi, templo & toti Iudææ,

dæ, populo q̄; Iudaico desolatio miserrima & quidem inevitabilis, velut præcisa & præfinita à Domino: nec ante finem habiturum est bellum illud, quàm ista horrenda desolatio planè sit perfecta & consummata, ut Deus justus iudex præfinivit. Hanc ipsam desolationem prope iisdem verbis prædixit Iesaias cap. 10. v. 22. 23. *Consummationem præcisam consummabit exundans iustitiâ: nam consummationem, & quidem præcisam, Dominus Jehovi exercituum facturus est in universa hac terra. Ut liquet ex accommodatione Apostoli quæ exstat Rom. 9. 27. 28.*

*Sic igitur descripta est iudicij divini in Iudæos gravitas:  
Nunc usum istorum omnium videamus.*

*Primò* observandum hîc clarum vaticinium de morte Regis Mesiæ seu Christi in Lege & Prophetis promissi: nèpe, debuisse Mesiã occidi, sicut ait Angelus Gabriel, *Excidetur Mesiã*: causam mortis Christi non refedisse in ipso: nec enim morte affecit eum Pontius Pilatus propter aliqua ipsius malefacta, sed compulsus importunâ & seditiosâ postulatione Iudæorum, qui Christum pro Rege suo agnoscere noluerunt, sed pro nihilo habitum repudiarunt. Tum, debuisse Mesiã interfici ante finem septuaginta illarum septimanarum.

*Secundò* notandus hîc locus de causa everfionis urbium & rerum publicarum. Urbes & respubl. evertuntur propter peccata incolarum: sicut civitas Ierolyma propter interfectionem & abnegationem Christi. Ac profectò nulla alia causa everfionis tot urbium, rerum publicarum & regnorum inde à prædicato Evangelio Christi fuit, quàm quòd incolæ Christum rursus quasi crucifixerunt, contemserunt, & Iudisum crucifigant sibi Filium DEI & ignominie exponant, ut Paulus loquitur Hebr. 6. 6.

*Tertiò* observanda hîc de iudiciis Dei quædam documenta:

1. Iudiciorum DEI adversus urbes vel respublicas causam esse incolarum peccata.
2. Executores eorum esse æterno DEI decreto destinatos: sicut Deus constituerat, ut iudicia adversus Iudæos executioni mandarentur per Gentes, quæ loco Iudæorum populus Dei futuræ erant. Ac profectò admirandum est hoc providentiæ divinæ arcanum: Qui fuerant populus Dei destructi sunt per eos, qui non erant, sed futuri erant DEI populus.
3. Iudicia Dei exundationi similia esse, quæ averti, impediri ve nequit.
4. Eorum modum, diurnitatem & finem à Deo præcisè definitum.

*Quartò* notandum hîc vaticinium de vocatione Gentium ad CHRISTUM: nam Gentes dicuntur hîc ab Angelo populus Antecessoris venturus.

## Vers. 27.

Et corroborabit [ *confirmabit, Vulgat.* ] fedus [ *pactum, Vulgata* ] multis septimanâ unâ: & medio septimanæ illius faciet cessare sacrificium & munus, & per alam detestationū desolantem [ *Vulgata Latina, & erit in templo abominatio desolationis. Non est in Hebræo, & erit in templo* ] etiam usque ad consummationem eamq; præcisam effundetur in desolatū [ *nempe, desolatio: Nam nomina conjugata verbis suis, ut contrâ verba nominibus inclusa latent, ex lingua Hebræa proprietate. Vulgata Latina, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Verbum מְשַׁבֵּיט significat stillabit, vel effundetur; estq; verbum hoc מְשַׁבֵּיטוֹ, quàm alterum, nempe perseverabit.* ]

Versu 27. pergit prædicere Gabriel, quid ultimâ seu septuagesima septimana eventurum erat. Tria autem prædixit eo versu. Primum est: *Corroborabit fedus multis septimanâ unâ.* R. Schelomo ait hoc dici, quia ultimâ septimanâ annorum fuerint inducię inter populum Romanum & Iudæos, quas inducias fingit vocari hoc loco fedus. At hæc interpretatio est falsa: nam Iosephus, cujus autoritatem Iudæi rejicere nequeunt, cum nō Christianus, sed Iudæus fuerit, diligentissimè descripsit omnia quæ inter Romanos & Iudæos ultimâ septimanâ Gabrielis gesta sunt; nullam verò facit mentionem induciarum in septem annos pactarum, nec in libris Antiquitatum Iudaicarum, nec in libro de bello Iudaico: Neutiquam autem rem tanti momenti præterisset, si vera esset. Deinde non patiuntur verba Gabrielis hanc corruptelam: ait enim, *confirmabit fedus multis.* Quòd si de induciis hoc intelligendum esset, cum omnibus Iudæis & non cum aliquibus tantùm inita fuissent. Hinc patet, interpretationem Rabbinicam esse falsam. Iam ostendendum, quæ sit germana horum verborum sententia. Prædixit his verbis Gabriel, Deum, qui fidelis est, fedus gratiæ suæ de quo Ierem, 31. 31. & sequentibus agitur, confirmaturum multis, electis nimirum ex Iudæis & ordinatis ad vitam æternam, eripiendo eos è communi incendio interituq; cæterorum incredulorum Iudæorum, patefacto ipsis Domino Iesu & consecrato illorum cœtu potentissimè inter medios hostes. Nam cœtus Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis, ex quodam oráculo & revelatione ante bellum & obsidionem iussus est emigrare, & se in civitatem Peræa cui Pella nomen erat, recipere, ut Eusebius narrat lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 5. Quemadmodum etiam Christus præceperat Matth. 24. 15. 16. *Quam videritis abominationē illam vastatricem quæ dicta est per Danielem Prophetam positam in loco sancto: (quæ legit, anima advertat) Tunc qui in Iudæa fuerint, fugiant in montes.* His igitur confirmatum fuit fedus, qui verè fide in Iesum Christum donati, & antequam institueretur obsidio Ierosolymorum, inde educti, ex illa communi Iudæorum clade sunt erepti: qui etiam

etiam eventu ipso didicerunt, fidelem esse Deum in servando federe & præstandis promissis; cum viderent se salvos, Iudæis qui remanserant Ierosolymis, tam miserè perditis & vel extinctis fame, peste, gladio, vel in captivitatem nunquam finiendam abductis. Hæc confirmatio federeis necessariò fuit prædicta, ut Danieli & alijs fidelibus mitigaretur vel abstergeretur tristitia, quam superior prædictio de civitatis templique excidio poterat afferre: ne existimarent, totam gentem à Deo rejectum iri, sed scirent, multos Iudæorum ex gratia Dei servatum iri.

*Hoc itaq; primum est, quod Gabriel hoc versu prædixit.*

Secundum est: *Et medio septimanæ illius faciet cessare sacrificium, & munus.* R. Schelomo ait: Quoniam Iudæi citò violarint inducias cum Romanis in septennium pactas atque ita rebellarint; venisse sic in medio septimanæ, hoc est, quarto anno, exercitum Romanum & dissipavisse civitatem & templum & captivum abduxisse populum, & sic defecisse sacrificium & munus. Quod de inducijs septennialibus R. Schelomo dicit, commentitium est: cætera vera sunt, quæ adjungit, venisse nimirum in medio septimanæ exercitum Romanorum & solo æquasse civitatem & templum & captivum abegisse populum atque ita defecisse sacrificium & munus. His ergo verbis prædixit Gabriel solènem, publicamque sacerdotij Levitici abrogationem, quæ testificaturus esset Deus palàm omnibus, sibi gentem illam & sacrificia Levitica ingrata esse, cum veram Ecclesiã per prædicationem Euangelij de Iesu Christo collectam, verumque sacrificium & sacrificiorum corpus in eodem Iesu Christo ostendisset. Veritatem hujus prædictionis eventus confirmavit; Nam in medio septimanæ ultimæ nimirum anno à nato Christo 68. mense Majo Fl. Vespasianus jubente Nerone qui adhuc superstes erat cum exercitu Judæam invasit; anno autem Christi 71. urbs & templum sunt funditus eversa, templo conflagrante die 10. Augusti, urbe verò incensa die 8. Septembris: sicut à mense Majo Anni 68. usq; ad 8. Septembris Anni 71. altera dimidia pars septimanæ septuagesimæ fuerit finita. Notatu verò dignum est, quòd quemadmodum captivitas Babylonica septuaginta annos duravit, deinde per 70. septimanas annorù urbs instaurata cum templo stetit: ita expletis septuaginta à Christi in carnem adventu annis eadem cum templo funditus est eversa. Exercitu ergo Romano in Iudæam ingresso ex facto abolevit Deus sacrificium & munus, subtractis omnibus commoditatibus sacrificiorum toto tempore obsidionis, & tandem destructo templo, in quo solo sacrificandum erat: ut inde Iudæi intelligerent, Deum sacrificia Levitica nulla amplius velle.

*Hoc secundum est quod Angelus hoc versu prædixit.*

Tertium sequitur: *Et per aliam detestationum desolantem, etiam usque ad*

consummationem eamque præcisam effundetur in desolatum desolatio. R. Sche-  
lomo dicit ad hæc verba; usq; ad consummationem & finem belli Gog  
& Magog perseveraturam desolationem Iudæorum: tandem devictis  
Gog & Magog per Mesiã, regnum Iudæorum restitutum iri. Ast  
falsam esse hanc Rabbinicam explicationem, ex ijs quæ nuper dicta  
sunt promptum est colligere. Nam nullibi in Lege & prophetis prædici-  
tur, desolationem urbis per Titum factam usque ad finem belli Gog &  
Magog duraturam: Mesiã deimū mille & sexcentis & pluribus annis  
post destructionem secundæ domus venturum, & bellum corporale  
moturum, Gogū & Magogum devicturum, & regnum Iudæorum re-  
stituturum. Deinde bellum Gogi & Magogi annis 240. ante domus se-  
cundæ everfionem est gestum & consummatum, movente illud An-  
tiocho Asiæ minoris & Syriæ Rege. Tertiò in vaticinio Gabriëlis præ-  
dicitur quidem desolatio templi & urbis Ierosolymorum: de tempore  
autem quo usque illa desolatio erat duratura, deque bello Gogi & Ma-  
gogi, de restitutione item regni terreni Iudæorum ne verbum quidem  
unicū est. Sed relinquamus hæc Rabbinica commenta: & veram ver-  
borum Angelicorum sententiam monstremus. Prædixit Gabriel, cum  
cessatione sacrificiorum Leviticorum in medio ultimæ septimanæ, si-  
mul etiam desolationem Iudæorum inchoaturam. Ostendit autem &  
per quem desolatio illa perficienda fuerit & quam gravis futura erat, &  
quæ ejus sit causa efficiens princeps. Primum ostendit his verbis: *per  
alam detestationum desolantem*. Per alam intellexit Romanos exercitus:  
quemadmodū pro eo quod ex hoc Danielis loco Christus dixit Matt.  
24.15. & Marc.13. vers.14. *Quum videritis abominationem illam vastatricem,  
quæ dicta est à Daniele Propheta, positam ubi non oportet*, familiarius explicat  
& dicit Lucas cap. 21.20. *Quum videritis Ierosolyma cingi ab exercitibus, tunc  
agnoscite appropinquare vastationem ejus*. Ala autem pro exercitu ponitur  
Synecdochicè sumpta parte pro toto. Ala enim Romanis dicta fuit equi-  
tum turma, quòd pedites tegant alarum vice. Nam equitum ordi-  
nes circum legiones dextra sinistraque tanquam alæ in avium corpo-  
ribus locabantur. Per alas itaque intellexit exercitus Romanos. Vocat  
autem eos alam *detestationum* seu *abominationum*, quia omnes illæ gentes  
quæ in exercitu Romano Ierosolyma obsidente erant, idolis servie-  
bāt, ideo abominabiles Deo erant, donec Christo qui est bonus odor  
electorū & in quo solo omnes sunt grati acceptiq; Deo, sese adjunxe-  
runt. Appellat deniq; alam *desolantem*, quia urbē & templū desolutura  
erat populumq; Iudaicum perditura. Per Romanum igitur exercitum  
desolatio ista fuit perficienda. Gravitas verò desolationis describitur  
similitudine; etiam usq; ad consummationem eamq; præcisam effundetur in des-  
solatum desolatio. Sensus est: Desolatio tanquam perpetuo stillicidio  
vel potiùs diluvio effundetur in templum & urbem, donec non relin-  
quetur lapis super lapidem, qui non dissolvatur, ut Christus loquitur

Matthæi vicesimo quarto versic. 2. Mar. decimotertio versic. 2. Luc. 21. 6.

Causa efficiens principis desolationis istius fuit æternum Dei consilium & decretum: dicit enim Gabriel consummationem illam seu perfectionem desolationis esse præcisam, hoc est, ab æterno definitam consilio Dei. Atque huic vaticinio eventus exactè respondit: quemadmodum historia excidij Ierosolymorum à Iosepho & Egesippo descripta abundè exponit. Excidium hoc ad dimidium ultimæ septimanæ refert rectè etiam Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 1. pag. 143. edit. Comelin.

*Usus.*

Obseruandi hinc quatuor loci.

*Locus 1. est De corroboratione federis gratiæ.*

Deus corroborat fedus gratiæ electis suis inter alios hoc modo, cum Ecclesiam suam eripit ex communi exitio hominum impiorum, quemadmodum Ecclesiam fidelium ex Iudæis in Christum credentium eripuit ex communi Ierosolymorum excidio, quam ante obsidionem à Romanis factam, commigrare iussit in oppidulū solitarium trans Iordanem, Pellam nomine, ut narrat Eusebius lib. 3. histor. Eccles. cap. 5. Quod ipsum ostensum est Iohanni Apocal. 12. per signum mulieris parturientis, quæ fugit in solitudinem, cui data sunt duæ alæ aquilæ magnæ, ut à conspectu serpentis seu draconis magni rasi habentis capita septem & cornua decem & in capitibus suis diademata septem, volaret in desertum, in locum suum, ubi aleretur per tempus, & tempora & dimidium temporis. Nam per Mulierem illam parturientem & postea filium masculinum parientem, post fugientem in solitudinem, intelligenda est Ecclesia Christi ex Iudæis collecta Ierosolymis. Sic confirmavit Deus fedus gratiæ, Ecclesiæ quæ in arca Noë à diluvio conservata fuit. Similiter confirmabit illud electis ante excidium urbis Romæ quod prædicitur Apocal. 18. cum exierit ex ea populus Dei, sicut præcipitur eodem capite vers. 4. Exite ex ea popule mi, ne participes sitis peccatorum ejus & ex plagis ejus accipiat: Nam accumulata peccata ejus per tegerunt usque in calum & recordatus est Deus scelerum ejus.

*II. Locus est De abrogatione sacrificiorum Leviticorum una cum sacerdotio Levitico; de qua abrogatione notabimus duo axiomata.*

1. Sacrificia Levitica una cum sacerdotio Levitico planè abrogari debuerunt juxta voluntatè Dei. Sunt verò abrogata in extrema tēpli Ierosolymitani devastatione: quia Dei voluntas non fuit, ut ulterius essent. Si enim Deus voluisset, ulterius sacrificia Levitica offerri & Sacerdotium Leviticum stare, neutiquam potuissent aboleri. Impossibile siquidem est, quod Deus decrevit ut perpetuò duraret, ulla hostili violentia tolli. Ergo Sacrificia Levitica ad tempus dumtaxat imperata fue-

runt: ut probat Iustinus Martyr ex hoc loco Danielis, in Dialogo cum Tryphone Iudæo pag. 200. edit. Comelin. 2. Cessare debuerunt de-  
 mum in medio ultimæ septimanæ Gabrielis, hoc est, tempore ever-  
 tendi templi, in quo sacrificia offerri solebant; idque non sine causa.  
 Non enim oportebat auferri significantia sacrificia priùs, quàm illud  
 quod significatum fuerat confirmatum esset contestatione Apostolo-  
 rum prædicantium, & fide credentium populorum, ut Augustinus lo-  
 quitur to. 4. Quæstionum Euangelicarum lib. 2. cap. 3.

*Locus III. est De templi Ierosolymitani & civitatis  
 finali everfione, de qua trademus apho-  
 rismos quatuor*

1. Templum Ierosolymitanum & civitas ipsa æternâ vastitate deso-  
 lari debuerunt: quia typi fuerunt Ecclesiæ Christianæ; hæc igitur pas-  
 sim in multis orbis partibus ædificari ceptâ, typos cessare necesse fuit.
2. Sicut Deus ultimum excidium Ierosolymorum distulit per annos  
 490. ut spatium respiscendi haberent Iudæi: ita nunc quoque Romæ  
 & aliarum urbium in quibus impietas regnat, excidium differt, ut lo-  
 cus adhuc sit respiscentiæ.
3. Devastationes urbium sunt velut diluvium quod Deus effundit  
 ad perdendas urbes.
4. Per urbis Ierosolymorum templique exterminium, mundi & Ec-  
 clesiæ Christi status futurus circa finem mundi præfiguratus & signifi-  
 catus est. Hæc causa est, cur Matt. 24. Dominus prædictiones de exci-  
 dio Ierosolymorum cum consummatione seculi copularit.

*Locus IV. est De Rege Messia jam exhibitio: de quo  
 duas theses notabimus.*

I. Rex Messias est jam exhibitus; ut sequentia probant argumenta ex  
 hoc vaticinio Gabrielis de prompta.

1. Quia cessavit oleum unktionis, quod fuerat typus unktionis  
 Regis Messia.
2. Quia Rex Messias debuit excidi ante exitum septuaginta se-  
 ptimanarum Gabrielis.
3. Quia templum secundum, quo stante rex Messias venire de-  
 buit, est destructum, manetque desolatum jam per annos  
 1527. ab anno devastationis ejus usque ad præsentem hunc  
 annum 1598.
4. Quia sacrificia Levitica sunt, manentq; & manebunt abrogata.

II. Iesus Nazarenus, virginis Mariæ filius est Rex ille Messias. Nam  
 in quo omnia ea quæ de Rege Messia Prophetæ prædixerunt, sunt im-  
 pleta: is citra controversiam est promissus ille Rex Messias. At in Jesu  
 Nazareno, Mariæ filio, sunt omnia illa impleta quæ de Rege Messia  
 Prophetæ

Prophetæ prædixerunt. In hoc enim, ut cætera Prophetarum vaticinia, ita hoc Danielis est completum: Unctus enim est à Deo ut esset Propheta, Rex & sacerdos noster: apparuit in domo secunda, quam cælestis doctrinæ de reconciliatione electorum cum Deo, & miraculorum gloriâ replevit: Excisus est ante finem septuaginta septimanarum, eo denique in cælos sublato & in Gentibus prædicato ac perfidem suscepto, sacrificia Ierosolymis cessarunt, destructa urbe & templo. Unde consequitur, Iesum hunc Nazarenum, virginis Mariæ filium, illum promissum Regem Mesiã esse.

Hæc tunc explicatus est, DOMINO benedicente, genuinus sensus & usus vaticinij Gabriëlis de septuaginta septimanis, quæ super populum Iudaicum & civitatem Ierosolyma decisæ fuerant: restat jam septimanarum istarum *Epilogismus Chronologicus*, quem Syllogismo complectemur cujus hæc est *Propositio*. Ab eo tempore, unde usq; ad ultimum urbis Ierosolymorum & templi excidium anni 490. præcisè effluxerunt, ab eo, inquam, tempore sumendum est exordium computandi septuaginta hebdomadas Danielis. Hanc propositionem syllogismi sic probamus: Quia septimanæ illæ terminantur in excidio populi & urbis Ierosolymorum: nam Angelus expressè dicit, Septimanas illas septuaginta decisas esse super populum & civitatem sanctam Danielis vers. 24. desolationem templi & urbis quæ per legiones Romanas futura erat, ad alteram dimidiam septimanæ ultimæ partem refert. vers. 27. Idem notarunt veteres orthodoxi Patres. Tertullianus libro adversus Iudæos cap. 8. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. pag. 143. & 147. editionis Comelinianæ. Hieronymus in Commentarijs in Danielem.

Patentur & docent idem ipsimet Iudæi, septuaginta has septimanas terminari in deletionem templi posterioris per Romanos. In Talmud, cujus maxima est apud ipsos autoritas, in libro cui titulus, Seder holâ Rabbâ, id est, ordo mûdi seu Chronologia major cap. 28. dicitur, Rabinum Iose numerandas docere hebdomadas 70. usque ad posterioris templi per Romanos excidium. Idem traditur in eodem Talmud in libro qui dicitur Abodaczara cap. 1. Eandem sententiam tuetur Rabbi Schelomo Iarchi & alij. Ac non est necesse in hoc à Iudæis dissentire: nam quò in paucioribus dissenferimus ab illis, concessis nimirum quæ concedi possunt & debent, eò faciliùs & commodiùs ex hoc vaticinio probare poterimus, Mesiã illum promissum ante secundam templi & urbis Ierosolymorum destructionem venisse. Alioquin Iudæi neglecta quæstione de adventu Mesiæ, duntaxat de chronologiæ f. litate disputabunt. Falsam autem censent chronologiam omnem quæ finem septuaginta septimanarum Danielis aliò refert, quàm ad eversionem templi secundi & urbis per Titum: quoniam expressè dicit Angelus, septimanas illas decisas esse super populum & civitatē sanctam. Quoniam ergo consentiunt cum verbis Angeli & Christiani pleriq; & Iu-

daici doctores, finis septimanarum 70. statuendus est in populi & urbis Ierofolymorum everfione: ac proinde ab eo tempore, unde 490. anni exactè sunt elapsi usque ad secundam templi & urbis devastationem, septimanæ 70 sunt computandæ.

*Hactenus propositio Syllogismi, ejusque probatio,*

*Assumptio hæc est:*

*Ab anno secundo Darij Nothi usque ad ultimam templi & civitatis Ierofolymorum desolationem per Romanos factam, anni 490. præcisè effluxerunt; quod sequens particularis supputatio ostendet.*

Ab anno secundo Darij Nothi usque ad finem regni ipsius sunt anni 18. regnavit enim annos 19. Diodor. Siculus, Ctesias lib. 19. *περὶ τοῦ* dicit regnasse annos 35. nam comprehendit simul annos, quibus vivo patre Artaxerxe Longimano Satrapes Hyrcaniorum fuerat volente patre, & dante ei uxorem Parysatida Xerxis illius magni filiam, suam verò germanam sororem. De secundo autem Darij Nothi anno dicitur Ezzr. 4. 24. Anno sexto ejusdem Darij ad diem 3. mensis Adar finita est ædificatio secundæ domus Ezzr. 6. 15.

Post Darium Nothum regnavit filius ejus Artaxerxes Mnemon seu Memor annos 43 Plutarchus in Artaxerxe tribuit ei annos regni duos & sexaginta, quia à patre Dario Notho statim à principio in cõsortium regni assumptus erat, propter bella contra Secundianum Artaxerxis Longimani nothum, qui legitimum hæredem & successorem regni Xerxem secundum 45. die à morte patris in regio palatio dormientem interfecerat & sibi regnum asserere conatus fuerat, ut autor est Ctesias lib. 18. *περὶ τοῦ*. Darius ergo Nothus cum filio Arsaca, postea Artaxerxe dicto, mox regnum communicaverat, eique citeriores ac meridianas regni partes commiserat; sibi verò posteriores & magis ad Boream spectantes regendas assumerat, velut sibi magis pro sua ætate commodas & jam olim magis exploratas. Artaxerxes Mnemon igitur cum patre Dario Notho regnavit annos 19. à patris morte annos 43. qui anni juncti, efficiunt 62. annos, quos Plutarchus ei tribuit.

Hujus anno 7. postquam mortuo patre solus regnaret, Ezra est profectus Ierofolyma ad Ecclesiam reformandam Ezzr. 7. 7. Anno 20. regni ejus Nechemias obtinuit dimissionem in Iudæam ad circummœnendum urbem Ierofolyma Nechem. 2. 1. Hinc duodecim annis fuit princeps in Iudæa, nempe ab anno 20. usque ad annum 32. Artaxerxis Regis Nech. 5. 14. & 13. 6. Hoc anno 32. Artaxerxis Memoris absoluta fuit urbis circummœnitio, inter varia atque gravia impedimenta, ad complendam prophetiam de 7. septimanis urbi muniendæ destinatis, quæ 7. hebdomades sunt decima pars 490. annorum, seorsim posita, ut præsens ætas veritatem prophetiæ Angelicæ experiretur, & ex complemento partis unius certa esset de futuro complemento reliquæ prophetiæ

phetiz totius. Nam cum prædictio singularis de septem hebdomadis  
 bus evenisset, veritas aliarum prædictionum omnium magis confir-  
 mata fidelibus fuit: quod signum Lege indixerat jam olim Deus Deut.  
 18. 21. 22. *Quod si dicas cum annuo tuo: quomodo cognoscemus verbum illud quod  
 non eloquutus fuerit Jehova? Quod fuerit locutus ille Propheta in nomine Jehove,  
 si non erit illud verbum, neque e venerit, hoc illud est verbum, quod non elocutus  
 est Jehova.* Confirmat idem Ierem. 28. 9. *Propheta ille qui prophetat pacem,  
 quam evenit verbum ipsius Prophetae, cognoscitur ille Propheta esse quem misit  
 Jehova verè.* Ergo à 2. anno Darij Nothi usque ad finem regni Artaxer-  
 xis Memoris sunt anni 61. Artaxerxi Mnemoni successit Darius O-  
 chus, de quo Diodorus Siculus Bibliothecæ Historicæ lib. 17. pag. 564.  
 editionis Henrici Stephani. Et Memnō pag. 77. editionis Henrici Ste-  
 phani in octavo cum Ctesia & Agatharchide Regnavit annos 23. Hunc  
 excepit Arses, qui regnavit tres annos. Diodor. Sicul. lib. 17. pag. 564.  
 Ultimus ex Persis fuit Darius Codomannus vel Cadmonæus dictus,  
 cujus mentio fit Nechem. 12. 22. & libr. undec. de Antiquitatibus lu-  
 daic. Iosephi. cap. 8. regnavit annos sex. Ita ab anno 2. Darij Nothi, usq;  
 ad finem Monarchiæ Persicæ, sunt anni 93.

Alexander Magnus devicto Dario Codomanno pugna ad Arbela  
 Asiæ imperio potitus est & Monarchiam tenuit sexennio. Arrianus lib.  
 7. de Expeditione Alexandri Magni ait regnasse annos XII. menses  
 v. III. sed comprehendit simul annos, quibus in Græcia & ante Monar-  
 chiam regnavit. Ita ab anno 2. Darij Nothi usque ad mortem Alexan-  
 dri Magni sunt præcisè anni 99. A morte Alexandri Magni, quæ inci-  
 dit, in 430. annum ab urbe Roma condita, usque ad excidium Ierosoly-  
 morum, quod incidit in annum ab urbe Roma condita 822. elapsi sunt  
 anni 392. ut in Fastis Cōsularibus à Cuspiniano, Sigonio & Onuphrio  
 editis videre est. Ex ijs ultimus est demendus, quia iniens intelligitur,  
 nondum autem completus (sicut in historijs discernendi sunt anni  
 ineuntes à desinentibus seu completis. quâ distinctione neglecta  
 diversitas Chronologiarum conciliari nequit) anni autem completi  
 sunt 391. qui si addantur 99. annis qui à secundo Darij Nothi usque ad  
 mortem Alexandri Magni fluxerunt, efficiunt præcisè annos 490. At-  
 que ita hebdomades illæ septuaginta in devastatione templi & urbis  
 Ierosoly morum per Romanos finem sunt sortitæ.

Ex his sequitur *Conclusio*; ab anno secundo Darij Nothi sumendum  
 esse exordium computandi septuaginta hebdomadas Danielis. Do-  
 mino IESU CHRISTO Antecessori illi nostro, qui gratiam Spiritus sui  
 & vires nobis quantumvis indignis & infirmis ad hujus etiam  
 capitis explicationem largiri dignatus est, sit laus,  
 honor, gratiarum actio & gloria in omne  
 ævum. AMEN.